



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Disputatio II. De Attributis Dei in communi. Deque eorum tum interse, tum  
cum diuinà essentià comparatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

ad actus, quibus re ipsa neque perficitur, neque deterioratur, neque minus perfectus arguitur. Quinimo multas huiusmodi potentias habet. Talis enim est potentia, quam habet, ad praevidendum creaturas; talis, quam habet, ad eas gubernandum; talis, quam ad intelligendum; talis, quam ad amandum; & cetera huiusmodi. Quippe Deus neque productione creaturarum, neque earum gubernatione, neque intelligentia, neque amore crescit in perfectione, aut decrefcit, aut minus perfectus arguitur. De quibus omnibus inferius disput. 16. multo plura dicenda sunt.

### QVÆSTIO XIII.

*Virum Deus sit ens per essentiam.  
Et qua ratione.*

288 **C**oncors Theologorum sententia est, Deum esse ens per essentiam, creaturam vero esse ens per participationem. Quod tamen non eodem modo explicant omnes. Scotus enim in 1. distinct. 2. quæst. 3. ait, idem Deum dici ens per essentiam, creaturam autem per participationem: quia esse Dei est perfectum, & illimitatum, creaturæ vero imperfectum, & limitatum. Caiet. 1. par. quæst. 44. artic. 1. docet, Deum dici ens per essentiam: quia existit per essentiam: creaturam autem ens per participationem: quia non est essentialiter suum esse. Consentit Raynald. in Theolog. natur. dist. 6. quæst. 1. artic. 3. ad adens, creaturam eatenus posse dici ens per essentiam, quatenus existit per existentiam indistinctam ab essentia; licet non ut Deus, qui solus existit essentialiter, ut sicque solus dicitur esse ens per essentiam. Gillius lib. 2. tract. 1. cap. 4. ait, idem esse in Deo, esse ens per essentiam, & esse ens imparticipatum, siue in reatum, qualis non est creatura. Recapit. denique lib. 1. quæst. 9. ait, Deum dici ens per essentiam primò: quia habet per essentiam esse primum ens absque mixtione non entis, qualem habet creatura à sua potentialitate essendi, & non essendi. Secundò: quia est ens per propriam essentiam absque respectu ad aliam essentiam; qualem creatura habet ad ipsum Deum.

289 Pro exacta explicatione suppono ex dictis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 1. & 2. *Ens* & posse usurpari essentialiter; idque vel actualiter pro essente quidpiam, vel potentialiter pro potente esse quidpiam; & posse usurpari existentialiter; idque pariter vel actualiter pro existente, vel potentialiter pro potente existere. Essentiam autem, quod ad rem attinet, aliam physicam, & aliam metaphysicam esse.

290 Igitur, cum Deus dicitur esse ens per essentiam, creatura vero ens per participationem, *ens*, existentialiter, & actualiter sumitur pro existente actu; sensusque est, Deum per suam essentiam, atque adeò à se ipso, & consequenter necessariò, & essentialiter existere, habere ve esse existentialiter, & actualiter à parte rei. Cum tamen creatura, dum existit, non per essentiam, & à se, sed ab extrinseca causa, atque adeò accidentaliter, & contingenter habeat ipsum existere. Habet autem Deus existere per suam essentiam tum physicam, tum metaphysicam: quia essentia Dei physica ipsa sibi est existentia, & necessitas

existendi; essentia autem metaphysica necessariò fert secum annexam existentiam tanquam primam, aut unam exprimis suis metaphysicis passionibus iuxta dicta quæst. 10. & 11. Creatura vero, dum existit, licet existat per existentiam à sua essentia realiter indistinctam: quia tamen ab alio, & absque necessitate, atque adeò contingenter existit; contingenterque subinde tota essentia physica eius cum sua indistincta existentia ponitur in natura rerum, & essentia eius metaphysicæ contingenter pariter concipitur euenire, existentia formalis veluti quoddam accidens prædicabile, ut latius exponebamus in Pharo disp. 9. quæst. 6. idcirco creatura nequaquam dici potest per essentiam existere: quia iste loquendi modus ut minimum sonat, esse essentialiter creaturæ, seu de conceptu essentia eius, annexam sibi necessariò habere existentiam, atque adeò nequaquam habere eam potentiam ad non existendum. Quod planè falsum est.

Cæterum, si sumatur *ens* essentialiter tam actualiter, quam potentialiter; aut existentialiter potentialiter tunc quidem non solus Deus, sed creatura etiam dicenda veniet esse ens per essentiam: quia non solum Deus, sed etiam creatura habet per suam essentiam, de suoque, seu quiditativè, tam esse, quam posse esse id, quod est, atque etiam posse existere iuxta doctrinam uniuersalem de statu rerum quiditativè traditam in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 1. Ex quibus patet, quid veri habeant, aut non habeant modi dicendi, quos retulimus ex alijs Auctoribus. Et quo pacto, quod ad rem attinet, loquendum sit.

292 Porro, Deum esse ens à se ipso, atque adeò per essentiam existens; cum tamen cætera cuncta sint entia ab alio, atque adeò per participationem ab illo existentia; inde monstrandum venit: quia, cum Deus sit causa prima à nullo alio tanquam à causa suam existentiam accipiens, ut constat ex demonstrationibus factis quæst. 7. necessarium imprimis est, ut ille sit existens, siue habens existentiam à se. Cumque illam à se habere non possit participatam tanquam à causa: quia impossibile est, ut quidpiam se se ipsum causet, dando sibi ipsi existentiam, iuxta dicta ibidem; consequitur necessariò deinde, ut Deus per suam, met essentiam sit existens, siue habens existentiam à se. Alius enim modus habendi existentiam, præter quam aut acceptam à causa, aut à se habitam per essentiam, excogitabilis non est, ut est notum.

### DISPVATIO II.

De Attributis Dei in communi.  
Deque eorum tum inter se,  
tum cum diuinà essentia  
comparatione.

**M**ulta ad disputationem hanc spectantia, tractata iam à nobis sunt in Pharo Scient. tamen sub uniuersaliori conceptu. Quare illis inde suppositis, atque adeò tantum indicatis, de cæteris, quæ super sunt, ex professio dicemus.

QVÆSTIO I.

Quid sit; & quod simplex Attributum  
diuinum.

**A**tributum, vt ipsum nomen præ se fert, id sonat, quod alteri attribuitur, scilicet per prædicationem. Vnde attributum latè sumptum, & prædicatum in idem recidunt. Prædicatum autem est, quod de subiecto dicitur, dum aliqua propositio profertur, vt. vel Logiciis est notissimum, à nobisque in Pharo Scient. atque etiam in præced. disp. satis explicatum.

Hinc, quot modis in dictâ Pharo disp. 17. quæst. 7. prædicatum, seu prædicabile diuisum, totidem attributum latè sumptum venit in primis diuidendum. Atque ita aliud est essentialè, quod nihil adijcit subiecto, sed vel totum, vel partem repetit. Rursusque diuitur in specificum, genericum, differentiale, anonymum, & mixtum. Aliud est accidentale, quod aliquid adijcit subiecto. Idque vel ipsi necessarium; & sic est passio eius aut propria, aut communis, vel ipsi contingens; & sic est eius accidens commune, vel proprium. Quæ rursus omnia membra in alia subdiuiduntur, vt ex citato loco petendum est. Vnde generatim est inferendum, quod duplex sit attributum Dei latè sumptum.

**D**ico autem latè sumptum: quia attributum Dei bifariam accipi potest. Primo latè pro quouis omnino Dei prædicato. Secundo magis strictè, & propriè pro prædicato ipsi Deo aliquid adijcente. Id namque, quod subiecto adijcitur, strictius, & proprius dicitur ipsi attribui, strictiusque subinde, & proprius vocatur attributum. Cæterum si nomine Dei essentia ipsius metaphysica intelligitur, vtraque dicta acceptio attributi in eandem recidit apud me. Qui censeo, essentiam metaphysicam Dei in subiecto radicali omnium prædicatorum Dei consistere; atque ita omnia omnino, quæ prædicantur de Deo, essentia ipsius metaphysicæ superaddi. Id quod etiam omnes Patres communiter satis conspicuè, & apertè docere videntur; quando vnanimiter asseuerant, omnia, omnino nomina, quæ attribuuntur Deo, non Dei essentiam, sed, quæ circa essentiam sunt, in ipsâ vè inspicuntur, significare; prout latè traditum, & probatum est supra disput. 1. quæst. 10. Cæterum quanquam omnia Dei prædicata in meâ sententiâ comparatione essentia Dei metaphysicæ, cui quasi accedere, seu adiacere concipiuntur, propriè attributa nuncupentur; at comparatione essentia physica ea solum cum simili proprietate talia nuncupabuntur, quæ saltem quoad aliquid sui sunt physice extra Deum, de eoque tanquam accidentia aut protus extrinseca, aut semiextrinseca, prædicantur: non item quæ physice à Deo sunt omnino indistincta; ipsiusque proinde essentiam physicam constituunt.

**I**am vero attributa Dei in vniuersi in primò speciatim diuiduntur in positiua, & negatiua. Negatiua sunt, quæ aliquam dicunt negationem, vt esse increatum, incorporatum, incomprehensibilem, immortalem, &c. Positiua verò, quæ nullam, sed quid positiuum, vt esse bonum, sapientem, omnipotentem, iustum, &c. Quæ quidem diuisio celebris est apud Theologos, & Patres. Eam enim tradunt D. Dionys. cap. 1. de mystica Theologia, & cap. 2. de coelesti Hierar.

Augustin. in Psalm. 85. & tract. 23 in Ioann. Damasc. lib. 1. fidei cap. 2. & 4. Clemens Alexand. lib. 5. Strom. Basil. lib. 1. contra Eunomium, Ioannes Zipsiritot. Decat. 2. cap. 1. & Decad. 4. cap. 1. S. Tho. 1. par. quæst. 3. artic. 2. & 12. & alij. De cuius tamen membris plura à nobis, & explicatiùs sunt dicenda quæst. 3.

**S**ecunda diuisio attributorum Dei esse potest in attributa transcendentia, & non transcendentia. Transcendentia dicuntur, quæ in omnibus diuinis formalitatibus formalitè reperiri videntur, cuiusmodi sunt bonitas, veritas, immensitas, æternitas, & similia. Non transcendentia, quæ non omnibus diuinis formalitatibus conueniunt formalitè, sed vel essentia soli, sicut Deitati, vel paucis quibusdam, vt intellectus, voluntas, sapientia, omnipotentia, & alia huiusmodi. Cæterum quænam censenda sint attributa Dei transcendentia, & quomodo illa diuinis transcendant formalitates, inferius explicandum est quæst. 4.

**T**ertio attributa diuina latè usurpata in personalia, & communia sunt diuidenda. Personalia sunt ea, quæ proprietates personales, seu prædicata notionalia vocari solent; eo quod singularum personarum sanctissimæ Trinitatis propria sunt, vt esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum, generare, gigni, & alia huiusmodi. Communia verò sunt, quæ Deo non tam vt trino, quam vt vni conueniunt, seu potius, quæ toti Trinitati communia sunt, vt esse bonum, sapientem, omnipotentem, iustum &c. Non melatè, aliquos Theologos controuertere, an personalitates diuina inter diuina attributa sint recensenda, vt videre est apud Alarc. 1. p. tract. 5. disp. 2. cap. 3. Sed ego in controuersia adeo de nomine non hæreo. Scio etiam, attributum diuinum strictè usurpatum, qualiter, loquendo absolute, sæpe usurpari solet, ad personalia non extendi. Quia tamen sæpe expediet deinceps illud latè usurpare, vt ea etiam complectatur, id circo expediens etiam iudicavi, hanc inter alias attributorum diuisionem præmittere.

**Q**uarta diuisio potest esse in attributa absoluta, & relatiua. Quæ quidem bifariam potest intelligi. Aut enim est sermo de attributis relatiuis ad intra, qualia sunt solum notionalia, seu personalia, vt Paternitas, Filiatio, Spiritatio &c. Quo sensu per attributa absoluta à relatiuis distincta cætera cuncta veniunt intelligenda, quæ toti Trinitati communia sunt. Hoc tamen pacto diuisio hæc in præcedentem ferre recidit. Aut sermo est de attributis relatiuis ad extra, siue ad aliquid, quod sit extra Deum, qualia videntur esse omnipotentia, iustitia, misericordia, prouidentia, & similia. Et sic ea appellanda veniunt simpliciter attributa absoluta, quæ neque ad intra, neque ad extra relata fuerint; si tamen aliqua sunt huiusmodi. De quo infra quæst. 5. tractandum est.

**Q**uinto attributa diuina, latè etiam usurpata hoc nomine, in necessaria, & contingentia diuidi possunt. Contingentia sunt in primis actus Dei liberi prout liberi seu cognitionis, seu volitionis; deinde ea omnia prædicata diuina, quæ ab aliquo contingente de sumuntur extrinsecè, aut per illud quoquo modo complentur, vt esse creatorem, gubernatorem, dominum, remuneratorem &c. Necessaria autem sunt reliqua ab istis omnia Dei prædicata, quæ nequeunt ipsi non conuenire. Quid sit autem prædicatum necessa-

essarium; & quid contingens in vniuersum; ex dictis in Pharo Scient. disp. 11. liquidum est.

10 Sexto potest diuisio attributorum fieri in ea, quæ omnino sunt intrinseca Deo, vt bonitas, intellectus, voluntas &c. & in ea, quæ per aliquid extrinsecum aliqua ratione complentur, vt dominium, gubernatio, remuneratio, & similia. Quorum rursus alia extrinseca Deo, & alia semiextrinseca sunt, prout explicabitur infra quæst. 7.

11 Septimo denique attributa latè vocis vsurpatione alia temporanea sunt; quia Deo in tempore incipiunt, aut etiam desinunt conuenire, vt esse creatorem, gubernatorem, remuneratorem, &c. Alia sunt æterna; quia ab æterno, & in æternum illi conueniunt, vt esse bonum, sapientem, immensum, & reliqua huiusmodi. De quibus omnibus prout talibus infra disput. 9. tractandum est.

12 Porro attributa diuina trifariam concipi, significarique possunt, atque etiam solent. Primo in concreto, vt per hæc nomina sapiens, omnipotens, creator, dominus, &c. Secundo in abstracto, vt per hæc sapientia, omnipotentia, creatio, dominium, &c. Tertio per modum exercitij, vt per hæc verba sapio, omnia potest, creat, dominatur, &c. Quibus eisdem tribus modis potest, & solet à nobis concipi, significarique omnis actus iuxta doctrinam vniuersalem tactam disp. 1. quæst. 3. & latius tractatam in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4.

13 Obseruandum tamen est ad extremum, nomina, quæ per metaphoram, seu translationem Deo solent attribui in sacris litteris, vt penitentia, dolor, obliuio, & similia, intra attributa diuina non recenseri; quia quod illa propriè significant, non conuenit Deo; & quod per illa quasi indirectè intenditur denotari ex ijs, quæ verè Deo conueniunt, suum habet iam non esse proprium, sub quo inter attributa diuina connumeretur.

## QVÆSTIO II.

*An, & quomodo Attributa diuina tum inter se, tum ab essentiâ Dei distinguantur.*

14 **Q**uadruplex potest, quoad rem attinet, distinctio excogitari; realis scilicet, formalis ex naturâ rei, siue Scotica, virtualis, & rationis. De quibus sigillatim, summamque dicendum est in hac quæst. an & qualiter attributis diuinis, aut conueniant, aut non conueniant, ex his quæ fusiori calamo dedimus scripta in Pharo Scient. disput. 13. à quæst. 4.

15 Et primum, quod attinet ad distinctionem realem, (supposita quidditate eius ex se satis notâ, & ibi quæst. 2. à nobis expositâ), vt certum apud omnes est supponendum, ea attributa diuina, quæ per aliquid extrinsecum Deo quoquo modo constituantur, siue complentur in suo conceptu, quo ad tale extrinsecum realiter esse distincta ab essentiâ Dei; quia essentiâ Dei non potest esse idem realiter cum aliquo, quod est realiter extra ipsam. Erunt quoque talia attributa realiter quoad talia extrinseca distincta inter se, quoties extrinseca ipsa realiter inter se distincta fuerint, vt constat, Deinde etiam est

supponendum tanquam certum secundum fidem ex materia de Trinitate, personas diuinas Patris, Filij, & Spiritus sancti, atque adeo etiam earum personalitates, & origines realiter esse inter se distinctas, Quibus suppositis, dicendum restat de attributis communibus intrinsecis omnino Deo tum inter se, tum cum essentiâ, & de personalibus cum ipsâ essentiâ comparatis.

### Propositio 1.

16 Omnia attributa intrinseca Deo tam personalia, quam communia omnino sunt idem realiter cum essentiâ diuinâ; atque adeo nullâ prorsus distinctione reali distinguuntur ab illâ.

Hæc propositio omnino est certa secundum fidem, prout contra quosdam errores oppositos ipsi ex Concilijs, & Patribus, atque etiam ratione demonstrauimus in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 4. Vnde eius probationes petendæ sunt.

### Propositio 2.

17 Quæcumque realiter sunt idem cum essentiâ diuinâ, etiam sunt idem realiter inter se; exceptis attributis Dei personalibus, seu relationibus, quæ realiter inter se opposita, atque adeo distincta sunt.

Hanc etiam propositionem certam secundum fidem esse, loco citato ostensum est. Argumenta autem, quæ contra vtranque fieri possunt ibidem quæst. 7. ex professo proposita sunt, & diluta.

18 Venio ad distinctionem formalem ex natura rei, seu Scoticam, quæ duæ quæque formalitates obiectiua, quantumuis realiter identificata inter se, formaliter ex naturâ rei nihilominus independenterque ab intellectu nostro dicuntur ab Scotistis distingui per veram formalemque distinctionem, à qua habent à parte rei, vnam non esse aliam, siue esse extra aliam formaliter. Pro qua distinctione fit.

### Propositio 3.

19 Distinctionem Scoticam formalem ex naturâ rei nullatenus admittendam esse in diuinis aut inter essentiâ, & attributa seu communia, seu personalia, aut inter attributa ipsa communia; quinimo etiam increatis esse omnino impossibilem, multa argumenta tum theologica, tum philosophica persuadent.

Quæ quidem in nostrâ Pharo Scient. disp. 13. citata quæst. 5. videnda sunt. Vbi etiam quæst. 7. videri possunt soluta argumenta, quæ ab Scotistis pro suâ eiusmodi distinctione fiunt, aut etiam fieri possunt.

20 Iam verò de distinctione virtuali dicendum sequitur. Quæ quidem potius est æquivalencia quædam distinctionis, quam vera, & formalis distinctio; in eoque consistit, vt duæ formalitates ita realiter sint prorsus idem, vt in ordine ad

ad sufferenda sine repugnantia prædicata contradictoria segerant, ac si realiter essent prorsus distinctæ; eo quod realiter convenit vni prædicatum, quod non convenit alteri. Vti in mysterio Trinitatis Paternitati convenit realiter distingui à Filiatione, quod tamen non convenit essentia realiter identificata cum illa. Et essentia convenit realiter communicari Filio, quod ipsi Paternitati, cum qua essentia est idem, non convenit, &c. Hinc sit.

Propositio 4.

Id, quod nomine distinctionis virtualis significari intenditur, in Deo, salva fide, negari non potest inter conceptus aliquos obiectiuos identificados realiter.

Est clarum. Quia, supposita fide, omnes tenentur confiteri, essentiam diuinam, & Paternitatem idem esse realiter. Essentiam communicari Filio, Paternitatem verò non communicari realiter, Paternitatem distingui à Filio, essentiam verò non distingui realiter. Et consequenter prædicata aliàs ex se contradictoria, (qualia ista sunt), realiter convenire Paternitati, & essentia, quæ realiter sunt prorsus idem, Et consequenter rursus Paternitatem, & essentiam, ob suam infinitudinem talis esse eminentiæ, vt, cum realiter sint prorsus idem, realiter nihilominus possint sufferre sine repugnantia prædicata contradictoria non minus, quam si realiter essent distinctæ. Quod est, Paternitatem, & essentiam in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria rebus realiter distinctis æquivalere, siue perinde se gerere, ac si realiter distinguerentur. Quod ipsum est, eas æquivalenter, seu virtualiter esse distinctas à parte rei: cum verè, & formaliter sint prorsus idem. Nequit igitur de primo ad vltimum, supposita fide, negari in Deo, inter aliquos conceptus obiectiuos identificados realiter id, quod nomine distinctionis virtualis significari intenditur.

Itaque esse in Deo Paternitatem, & essentiam talis eminentiæ, vt citra realem distinctionem prædicata contradictoria valeant sine contradictione sustinere realiter, à nullo Catholico negari potest. Idque ipsum, & non aliud significari intenditur, quando dicuntur illa à parte rei distingui virtualiter. Ex quo patet, qui huiusmodi distinctionem virtualem negant, ab ijs, qui affirmant in re discrepare non posse, sed tantum in modo loquendi: eoque solum posse inter ipsos controuersiam reduci, an Paternitas, & essentia ob præfatum titulum virtualiter sint dicenda inter se distinctæ; vel secus.

Propositio 5.

Paternitas, & essentia, & vniuersim quicumque conceptus obiectiuus talis in Deo sint eminentiæ, vt, cum sint prorsus idem realiter, re ipsa nihilominus verè, & sine contradictione conueniant illis prædicata contradictoria, meritò dici possunt, & debent distingui à parte rei virtualiter.

Primò: quia cum huiusmodi conceptus in ordine ad munus subeundi talia prædicata sine repugnantia æquivalent rebus distinctis, siue

perinde se gerant, ac si distincti essent verè, & formaliter, iure optimo, & magna cum proprietate dicuntur distingui virtualiter: sicut piper propriissimè dicitur virtualiter esse calidum; quia in ordine ad munus calefaciendi perinde se gerit; ac si esset calidum formaliter. Secundò: quia, modus iste concipiendi, & explicandi per hæc æquivalentias diuina mysteria non parum lenit eorum difficultatem, aptissimèque omnium terminos præbet expeditos ad illa more scholastico tractanda, ad eorum rationem, quantum possibile nobis est pro præfati statu, reddendam, & ad facilius, ac expeditius illa ab argumentis aduersantibus propugnanda. Quod certe per solam distinctionem rationis diuinarum formalitatum, præstari nequit, vt contendunt plures Theologi. Quæ omnia ex dictis à nobis in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. & 7. constant.

Propositio 6.

Distinctio virtualis in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria nullatenus in creatis est admittenda, sed ab illa prorsus veluti à peste, & pernicie Philosophiæ abhorrendum est: quinimo ne in Deo quidem debet admitti, nisi vbi fides compellit eam adstruere; eo quod veritas aliqua, aut reuelata, aut ex reuelatis sequuta absque tali distinctione constare non potest.

Quippe, non compellente fide diuina, in cuius obsequium captiuandus est intellectus, perfectio captum eius excedens, qualem exposcit, supponitque talis distinctio, in rebus concedenda non est: inde enim ingentia absurda in Scientijs humanis sequeretur, prout latius in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. citata, proposit. 3. & 4. expositum est.

Accedamus iam ad distinctionem rationis ab intellectu nostro oriundam, repertamque inter formalitates diuinas realiter identificatas, quatenus illa distinctæ nobis representantur, & apparent, distinctionemque, & pluralitatem prout sunt obiectiuè in intellectu nostro sortiuntur cum in se se, & à parte rei omnino sint vnum, & idem. Pro qua sit.

Propositio 7.

Essentia, & relationes diuinae inter se se distinguuntur per nostram rationem: quemadmodum essentia, & attributa communia, ipsaque attributa inter se.

Hæc propositio certa iam citra dubium est apud omnes Theologos; tamen aliqui Nominalium quondam illi contradixisse dicuntur. Eam ex Concilijs, & ex communi Patrum consensu stabilimus in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 8. Satisque ex se ab experientia ipsa videtur manifesta. Esse autem in ea sermonem de distinctione rationis ratiocitanatæ, idest habentis fundamentum ex parte rerum, ex ibidem dictis est notum. Vbi etiam est adnotatum, attributa tum personalia, tum communia, dum concipiuntur vt actus quidam essentia Dei tanquam subiecti, veluti modi quidam à re per rationem nostram ab essentia ipsa distingui.

H

Vtrum

27 Vtrum autem formalitates diuinæ identif-  
cæ realiter ita per rationem nostram distinguan-  
tur, vt aliæ ab alijs ex parte obiecti, siue ob-  
iectiue præscindantur, sequentes propositiones de-  
terminant.

## Propositio 8.

28 Intellectus noster pro hoc statu non  
solum potest, sed prorsus debet circa mys-  
terium Trinitatis obiectiue præscindere,  
vt credere, & confiteri valeat veritates ca-  
tholicas, quæ in tali mysterio fundantur.

## Propositio 9.

29 Vbiunque inter diuinas formalitates  
distinctionem virtuales in ordine ad præ-  
dicata contradictoria, necessarium fuerit,  
admittere, ibidem inter easdem præcisio  
obiectiua ab intellectu nostro oriunda nec-  
essario admittenda est.

## Propositio 10.

30 Præscindere nos obiectiue in diui-  
nis, non solum relationes ab essentia, &  
ab attributis communibus; sed etiam  
attributa communia tum ab essentia, tum  
inter se, multa argumenta theologica per-  
suadent.

## Propositio 11.

31 Præscindere nos ex parte obiecti for-  
malitates realiter identificatas tam in crea-  
tis, quam in diuinis, multa argumenta  
philosophica ostendunt.

Quatuor hæc vltimæ propositiones vberri-  
mè sunt à nobis monstratæ in Pharo Scient. di-  
sp. 13. quæst. 9. Vbi quomodo præcisiones istæ  
formalitatium obiectiue non in rebus ipsis, sed in  
phantasmatis substitutis, in quibus illæ cogno-  
scuntur, sicut ab intellectu nostro, abundè etiam  
est explicatum; Multaque alia ad præcisiones ip-  
sas obiectiuas spectantia subiuncta sunt. Quæ om-  
nia ibidem sunt videnda.

## Propositio 12.

32 Prædicata, siue attributa Dei meta-  
physicè transcendentia eodem modo, ser-  
uata proportione, atque non transcenden-  
tia, mutuæque præcisione præscinduntur ab  
intellectu nostro. Imo præcisio obiectiua  
non mutua huiusmodi prædicatorum tran-  
scendentium metaphysicè transcendentia  
omnino impossibilis est.

Constat hæc propositio ex dictis in Pha-  
ro Scient. disput. 13. citata, quæst. 10. Vnde  
explicatio eius, & probationes petendæ sunt.

## Propositio 13.

33 Formalitates diuinæ realiter identif-  
cæ tum non gaudentes, tum etiam gau-  
dentes distinctione aliqua virtuali in ordi-  
ne ad prædicata contradictoria nullatenus  
sunt præscindibiles obiectiue, adhuc de  
potentia Dei absolutà ab ijs, qui vident  
Deum intuitiue, seu quoquo modo cogno-  
scunt per propriam speciem. Imo ne for-  
maliter quidem, siue ex parte actus sunt ab  
eisdem præscindibiles, prout volunt multi  
Recentiores.

Explicatio etiam, & probationes integra  
huius propositionis in eadem Pharo Scient. dicta  
disput. 13. quæst. 11. videndæ sunt.

## Propositio 14.

34 Impossibile omnino est, quòd intelle-  
ctus Dei, aut Beatorum, aut quorumuis  
Deum ipsum cognoscentium intuitiue, siue  
per propriam speciem aliquo genere distin-  
ctionis rationis distinguat aut perfectiones  
diuinas, aut diuinam substantiam.

Videantur etiam probationes huius propo-  
sitionis, & explicatio eius loco citato quæst. 12.

## QVAESTIO III.

*Quomodo Attributorum, siue prædicatorum  
Dei alia intrinseca ipsi Deo, & alia  
extrinseca, & alia semi-  
extrinseca sunt.*

35 PRO explicatione est supponenda doctrina  
vniuersalis de actibus intrinsecis, extrinsecis,  
& semiextrinsecis suis subiectis, quam de-  
dimus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & di-  
sp. 8. quæst. 3. vbi actum vniuersalissimè sum-  
ptum primò diuisimus in physicum, & meta-  
physicum, appellantem physicum illum, qui phy-  
sicè est superadditus subiecto, cuius actus est,  
ab eoque subinde adæquate distinctus physicè;  
metaphysicum autem eum, qui per nostram ra-  
tionem dumtaxat est superadditus suo subiecto;  
cum eoque subinde ipsa est idem saltem inadæ-  
quate. Secundo actum physicum diuisimus in in-  
trinsecum per adhesionem, extrinsecum, & semi-  
extrinsecum; metaphysicum verò in intrinsecum  
per identitatem, & semiextrinsecum, Huiusmo-  
dique diuisiones, & earum membra fusè explica-  
uimus, prout ibi videndum.

36 Quo eodem pacto diuidi etiam posset prædi-  
catum, siue attributum Dei late acceptum: quan-  
doquidem omne prædicatum aut est actus subiecti  
sui ex proprio conceptu, aut per modum actus  
eius concipi potest, siue in abstracto sumpti, siue  
in concreto, siue per modum exercitij significabi-  
lis per verbum iuxta dicta supra quæst. 1. num. 12.  
omnesque subinde diuisiones actus potest subire,  
vt etiam constat ex dictis locis citatis, Ceterum,  
dum agimus in speciali de prædicatis, siue attri-  
butis Dei, aptius compendij causa, omnis alijs  
diui-

diuisionibus, illa reducimus ad intrinseca, extrinseca, & semiextrinseca, nimirum per identitatem; quidquid sit de per adhesionem. Itaque attributum Dei intrinsecum, loquendo absolute, illud dicimus, quod adæquate est identificatum à parte rei cum ipso Deo, seu cum essentia Dei, cuiusmodi sunt bonitas, intellectus, voluntas, & alia huiusmodi. Extrinsecum autem absolute appellamus, quod adæquate est à Deo distinctum re ipsa: siue ipsi sit physice adhaerens, vt creatio, qua dicitur creare, seu creans Mundum, & vnio, qua dicitur vniri, seu vnitus humanitati Christi, siue non sit ipsi physice adhaerens, vt visio, qua dicitur videri seu visus à Beatis, & amor, quo dicitur amari, seu amatus ab eisdem. Semiextrinsecum denique nuncupamus illud, quod partim est identificatum cum Deo, & partim distinctum ab ipso realiter: eo quod fundamenta realia, vnde desumitur, sunt ipsa entitas Dei, aut aliqua eius formalitas, & aliquid, aut aliqua alia realiter distincta à Deo. Huius generis sunt dissimilitudo, qua Deus dicitur dissimilis creaturæ, & inæqualitas, qua dicitur inæqualis eidem. Ista enim prædicata, seu denominationes (omne quippe prædicatum adiciens aliquid subiecto ipsius denominatio dicitur iuxta notata in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3. sepeque alibi) ab entitate Dei simul, & ab entitate creaturæ desumuntur, siue in eis fundantur, atque adeo illas includunt in suo conceptu reali; talisque subinde conceptus ex illis coalescit re ipsa tanquam ex partibus. Huiusce etiam generis est omnipotentia, qua Deus dicitur absolute posse, seu potens creaturas causare: habet enim pro fundamento, atque inuoluit in suo conceptu reali, præter entitatem, siue formalitatem diuinam, ipsarum creaturarum possibilitatem re ipsa distinctam à Deo; quandoquidem, si creaturæ non essent in se re ipsa possibles, non diceretur Deus absolute potens illas causare; vti modo non dicitur absolute potens causare chymæram. De quo plura suo loco.

37 Dico, in conceptu reali denominationis, seu prædicati attributi Deo includi omnia fundamenta realia, vnde illud sumitur: quia conceptus formalis eius plerumque est aliud quid ratione nostra, siue in mente nostra obiectiue (iuxta con naturalem, & ordinarium modum, quem habemus intelligendi, & iudicandi) ab ipsis realibus fundamentis; nimirum actus quidam respectiue subiecti ad terminum conceptus à nobis aut in abstracto, aut in concreto, aut per modum exercitij significabilis per verbum iuxta nuper dicta. Sic, cum dicimus *Deus potest*, aut *Deus est potens creare Petrum*, prædicatum, quod Deo attribuimus sumptum formaliter, prout à nobis concipitur, actus primus est Dei vt subiecti ad creationem Petri vt ad terminum, conceptus aut per modum exercitij significati per verbum *potest*, aut in concreto, prout significatur per participium *potens*. Cuius realia fundamenta sunt creatio ipsa Petri vt possibilis, cognitio Dei de illa vt tali, potentiaque volitiua, & potentia executiua eiusdem, quorum primum distinctum est à Deo realiter, tria autem alia formalitates sunt realiter cum Deo ipso identificata. Quæ omnia in conceptu reali talis prædicati includi dicuntur: quia, quouis eorum deficiente, non esset Deus absolute potens creare Petrum. Similiter, cum dicimus, *Deus punit peccatorem*, prædicatum Deo attributum sumptum formaliter præcisus actus puniendi pecca-

torum est; sumptum verò realiter aggregatum est ex physica actione inflictiua pœnæ, ex voluntate Dei punitiua, & ex peccato coalescente realiter tum ex actione peccaminosa, tum ex lege prohibente cum omnibus suis fundamentis, tum ex libertate cum suis. Pariterque de similibus censendum est. Interdum verò prædicatum attributum Deo non solum in mente nostrâ obiectiue, sed etiam à parte rei actus quidam formalis est absque alijs fundamentis, vt cum dicimus, *Deus creauit Mundum*. Attributa denique, seu prædicata Deo prorsus intrinseca formaliter sumpta actus etiam sunt aut primi, aut secundi, vt tales vt concipi possunt; realiter verò sumpta sola entitas Dei, vt constat.

Hæc de attributis Dei positivis. Pro negatiuis autem explicandis suppono primò ex doctrinâ datâ in Pharo Scient. disp. 9. quæst. 3. & disp. 10. quæst. 4. negationes entium non quidpiam aliqualem essentiam habens, sed nihil penitus esse à parte rei: veritates enim negatiuas non in positione, sed in remotione, siue defectu alicuius consistere re ipsa: proindeque à cognoscentibus per proprias species, non per iudicia affirmatiua, quæ aliquid ponunt, sed per negatiua, quæ remouent, iudicabiles esse. Tamen à nobis, qui negationes ad instar entium solemus concipere, tum per negatiua iudicia sint iudicabiles, vt cum dicimus, *Petrus non existit*; *Petrus non amat*; tum etiam per affirmatiua æquivalentia, vt cum dicimus *Negatio Petri existit*; *Petrus caret amore*. Deinde suppono intra statum solum existentialem dari re ipsa veritates realiter negatiuas, intra statum verò quiditatiuum non item: quia multa verè non existunt realiter; nullum tamen verè non est id, quod quiditatiue est. Vnde cognoscentes per proprias species solum possunt habere iudicia negatiua vera intra statum existentialem; non verò item intra quiditatiuum. Proindeque iudicia nostra negatiua, quæ vera sunt intra statum quiditatiuum, æquivalenter tantum sunt vera: quia veritates obiectiua, quas prætendunt, re ipsa non negatiua, sed positiva sunt, atque adeo affirmatiue tantum iudicabiles à cognoscentibus per proprias species: tamen à nobis tum affirmatiue, tum etiam per æquivalentiam quamdam negatiue iudicari possunt. V. g. iudicia hæc, *Petrus non est lapis*; *Deus non est potens peccare*, intra statum quiditatiuum præcisè eatenus sunt vera: quia æquivalent his, *Petrus distinguitur à lapide*; *Deus opponitur peccato, seu potentia peccandi*: quorum obiectiua veritates re ipsa positiva sunt; atque adeo solum affirmatiue iudicabiles à cognoscentibus per proprias species; & consequenter concipientibus cuncta, sicut re ipsa sunt. Ex quibus patet; nos præ illis posse, & sæpe solere concipere positivè, quæ re ipsa sunt negatiua, & negatiue, quæ re ipsa sunt positiva: quia ea aliter, quam sunt in se, concipimus eo ipso, quod concipimus per species alienas. Quibus in casibus tales conceptus obiectiuos, aut supposititiue negatiuos, aut supposititiue affirmatiuos, siue positiuos vocamus. Quæ omnia, & plura ad rem locis citatis latè probata, & explanata videntur sunt.

Vnde adhuc superest adijcienda diuisio attributorum Dei tampositiuorum, quam negatiuorum in ea, quæ à parte rei tantum sunt talia, & in ea, quæ in conceptione nostra tantum sunt talia, & in ea, quæ talia sunt vtroque modo. Attributa positiva vtroque modo talia erunt, quæ neque in suo conceptu formali, neque in suo conceptu

ceptu reali, siue fundamentali aliquam dicunt, aut claudunt negationem, Negatiua utroque modo talia, quæ in suo utroque conceptu aliquam negationem dicunt, aut claudunt. Attributa autem positiua à parte rei tantum talia erunt quæ in suo conceptu formali aliquam negationem dicunt: in reali vero nullam claudunt: quia omnia eorum fundamenta realia positiua sunt. Quæ eadem erunt negatiua in conceptione nostra tantum; atque adeo supposititiæ negatiua venient dicenda. Attributa uenique negatiua à parte rei tantum talia erunt, quæ nullam dicunt negationem in suo conceptu formali, in reali vero aliquam claudunt: quia aliquod ex re libus fundamentis eorum negatiuum est. Quæ eadem erunt positiua in conceptione nostra tantum; proindeque supposititiæ positiua dicenda venient. Pro quibus facile erit vnicuique iuxta hæcenus dicta exempla excogitare, & adijcere.

40 Ex quibus omnibus inferitur primo, attributorum Dei spectantium ad ipsius statum quiditatum prout talium nullum à parte rei negatiuum esse: quia nulla intra talem statum, datus re ipsa veritas negatiua, ut statimus; atque ita, quæcumque eorum in suo conceptu formali aliquam dicunt negationem, in conceptione nostra duntaxat, & consequenter supposititiæ negatiua esse; cætera autem utroque modo esse positiua, in conceptione scilicet nostra, & à parte rei. Secundo inferitur, attributorum Dei pertinentium ad ipsius statum existentialem prout talium quædam esse à parte rei negatiua; idque vel tantum, quo casu supposititiæ positiua erunt; vel etiam in conceptione nostra; quo casu negatiua erunt utroque modo; quia scilicet intra talem statum veritates negatiua dantur re ipsa, ut etiam statimus. Et quædam esse à parte rei positiua; idque vel tantum, quo casu supposititiæ negatiua erunt; vel etiam in conceptione nostra; quo casu positiua erunt utroque modo. Vnde tandem inferitur, omnes prædictas attributorum differentias intra statum existentialem dari; secus intra quiditatum. Pro quibus etiam iuxta dicta facile quisque poterit exempla adhibere.

41 Præterea ex dictis est inferendum, nullum attributum intrinsecum Deo posse esse negatiuum re ipsa: quia nulla negatio potest esse re ipsa identificata cum Deo, Potest tamen attributum intrinsecum Deo tantum in conceptione nostra, atque adeo supposititiæ negatiuum esse; quia nihil verat, formari à nobis conceptus negatiuos de formalitatibus Dei positiuis; quemadmodum de quibusuis alijs veritatibus re ipsa positiuis passim formamus. Vnde rursus apparet, attributa re ipsa negatiua necessario debere esse aut extrinseca, aut semiextrinseca Deo: cum tamen, præter hæc, intra quoduis reliquorum generum tum extrinseca, tum semiextrinseca, tum etiam intrinseca, esse possint.

#### QVAESTIO IV.

*Verum Attributorum, siue prædicatorum Dei aliqua præ alijs sint transcendentia.*

*Et qua ratione.*

42 **S**upposita vniuersali doctrinæ de prædicatis transcendentibus tradita latè in Pharo Scient, disp. 17. quest. 20. deinde supponendum est, illud

prædicatum diuinum dici impræsentiarum transcendentem, quod in omnibus, & singulis formalitatibus Dei reperitur, siue illis conuenit formaliter, siue metaphysicè, ita quidem, ut vnicuique earum eodem pacto conueniret per locum intrinsecum, ut aiunt; etiam si, illa persistente, cætera alia per impossibile deficerent, aut non essent in Deo. Illud vero prædicatum diuinum, transcendens non est, quod eiusmodi conditionem non habet. Vide hanc differentiam prædicatorum latius expositam in prædicta quest. 20. proposit. 8. Præterea supponendum, duas dumtaxat venire in præsentem considerandas transcendentias prædicatorum Dei, omittis reliquis, quas recensimus quest. 6. Alteram per inclusionem metaphysicam prædicati transcendentis in singulis formalitatibus, quas transcendit. Alteram per adiectionem metaphysicam eiusdem eisdem. Hispositis sit.

#### Propositio 1.

43 **Al**iqua attributa diuina sunt transcendentia: aliqua verò secus.

Transcendentia enim sunt æternitas, immensitas, necessitas, bonitas, existentia, coexistentia cum Mundo, & alia similia: quæ nulla est formalitas Dei cui vt condistincte ab alijs conueniat, esse ab æterno, esse ybique, necessario existere, esse bonam, coexistere Mundo, &c. ut satis ex se notum est, & ex dictis quest. citata proposit. 11. Vbi ad rem plura. Non transcendentia verò sunt intellectus, voluntas, omnipotentia, sapientia, & alia huiusmodi: quia non omni formalitati Dei vt condistincte ab alijs conuenit per se, & formaliter, esse intellectuam, voluntariam, omnipotentem, sapientem, &c. ut patet in immanentia, æternitate, necessitate, impeccabilitate, & alijs.

#### Propositio 2.

44 **N**ullum attributum Dei est transcendens omnes formalitates diuinas per metaphysicam inclusionem.

Quia eiusmodi transcendentia omnino impossibilis est tam in sententia prædicantium obiectiue, quam in non prædicantium, ut in prædicta quest. 20. proposit. 12. & 13. monstrauimus. Vnde probatio huius petenda est.

#### Propositio 3.

45 **O**mnia attributa Dei transcendentia per metaphysicam adiectionem transcendent omnes, & singulas formalitates diuinas aut puram, si intrinseca sunt, aut iunctam cum adiectione physica, si sunt extrinseca, vel semiextrinseca.

Hæc etiam propositio constat ex dictis quest. illa sæpe citata proposit. 8. & 11. Vnde præterea eius probatio petenda est. Quemadmodum & cætera cuncta, quæ pro transcendentia attributorum, siue prædicatorum Dei plenius intelligendâ in præsentem desiderantur, ex vniuersali doctrinâ abundè in eadem questione tradita, petenda sunt, ne iam ibi actum rursus agamus.

QVÆ.



QVAESTIO V.

*Virum Attributorum Dei aliqua præ alijs sint relatina, siue relatina. Et qua ratione.*

46 **N**on agimus hic de relationibus ad intra, quibus vicissim sunt inter se relatata attributa Dei personalia, scilicet Paternitas, & Filiatio, Spiratioque actiua, & passiua. De quibus in tract. de Trinit. Sed de relationibus, si quas habent, aut inter se ad intra, aut ad extra attributa communia. Pro quibus,

47 **S**upponendum est primum ex dictis in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 1. omnem relationem ex suo conceptu formali actum quandam esse, quo subiectum refertur ad terminum; sicut & conuerso omnis actus relatio quædam est, quo subiectum respicit terminum. Vnde de relatione ferme, vt de actu, philosophandum est vniuersè, prout ibi notauimus, atque adeo etiam ferme, vt de prædicato, denominationeque in vniuersum iuxta ea, quæ dicebamus supra quæst. 3. Quo circa, quemadmodum ibi actus, seu prædicatum, seu denominatio, sic hic relatio est diuidenda in intrinsecam, extrinsecam, & semiextrinsecam, ita quod intrinseca dicatur, quæ adæquatè est à parte rei identificata cum subiecto per illam relationem; tales sunt relatio creaturæ ad Creatorem, cognitionis ad obiectum cognitum, productionis ad effectum productum, & similes. Extrinseca vero, quæ adæquatè est distincta realiter à suo subiecto; qualis est relatio obiecti ad cognoscendum, aut amantem, dum dicitur cognosci, aut amari ab illo, nec non relatio causæ ad effectum, dum illum producit mediâ actione realiter à se distinctâ, & cætera huiusmodi. Semiextrinseca denique, quæ partim est identificata, & partim distincta re ipsâ à subiecto, quod per illam referri dicitur; tales sunt relationes, quibus vnum extremum dicitur alteri simile, aut dissimile, aut æquale, aut inæquale, aut oppositum; tum relationes, quibus pater refertur ad filium, maritus ad uxorem, dominus ad seruum, & cætera, quas vocat prædicamentales. Quas quidem omnes à parte rei esse in distinctas ab aggregato fundamentorum, in quibus fundantur, ex quibusve ipsæ, seu denominationes ipsarum desumi dicuntur; atque ita, non tam à parte rei, quam in conceptione nostrâ esse formaliter relationes, siue respectus, siue actus; proindeque potius supposititias, quam reales relationes formales esse, cum communi Recentiorum sententiâ contra nonnullos Antiquiores statuis in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 1. citatâ. Quod etiam spectant, quæ ibi diximus disput. 8. quæst. 2. & disput. 12. quæst. 3.

48 **H**inc rursus diuidenda est relatio in eam, quæ à parte rei est relatio, siue entitas respectiua ad eundem terminum, ad quem à nobis respectiua concipitur; & in eam, quæ in conceptione nostrâ tantum est talis, secus à parte rei. In quo secundo casu, licet conceptus respectiuis à nobis formatus dicatur absolute realis propter fundamenta realia, in quibus fundatur, etiam dicitur nihilominus respectum rationis ferresecum sumptus formaliter, non quidem fictum, sed supposititium; vt pluribus etiam est ex-

plicatum, ostensumque locis citatis. Sic, licet Deus dicatur esse realiter potens creaturam producere; quia fundamenta huius denominationis, in quæ intellectus noster eo suo concipiendi modo tendit, realia, & vera sunt; conceptus tamen formalis potens creaturam producere, præ se fert relationem potentie Dei tanquam subiecti ad productionem creaturæ tanquam ad terminum, quæ re ipsâ non datur: siquidem neque entitas Dei est intrinsecè respectiua productionis creaturæ, vt dicemus postmodum, neque ipsa productio suimet, quæ duo tantum sunt fundamenta prædicti conceptus, seu prædicati, seu denominationis formalis. Tantumdemque est de potentis ex suo conceptu respectiuis, quas in Deo concipimus, ad existendum, ad se cognoscendum, ad se amandum, & alias huiusmodi: quia entitas Dei, in qua fundantur, non est respectiua realiter ad actus existendi, se cognoscendi, se amandi, & similes, vt poret cum quibus realiter idem est. Sic similiter, etsi Deus dicatur esse realiter dissimilis, & inæqualis creaturæ; eo quod entitas Dei, & creaturæ, in quibus ista prædicata fundantur, reales sunt; relationes tamen, quas illa formaliter sumpta præ se ferunt, dissimilitudinis, & inæqualitatis ad creaturam terminatæ supposititiæ sunt, & rationis: quia à parte rei neque entitas Dei habet respectum terminatum ad creaturam, neque entitas creaturæ ad se ipsam, vt dicebam nuper. Eodemque pacto censendum est de alijs huiusmodi attributis, seu prædicatis Dei ex suo conceptu respectiuis.

49 **S**ecundo supponendum est ex doctrinâ inferri tradendâ, & efficaciter probandâ disput. 4. quæst. 2. Deum à parte rei quoad suam phylicam entitatem nullatenus esse respectiuum, siue relatiuum intrinsecè ad quidpiam aliud realiter distinctum à se: quia Deus à parte rei absolutissimus est ab omni non Deo, vt ibi ostendemus. Ad se autem ipsam non esse relatiuum diuinam entitatem realiter, est manifestum: quia omnis relatio ex essentia suâ est ad aliud: atque ita nulla entitas potest intrinsecè, & per se esse relatata realiter ad se ipsam, vt fatentur omnes; quia nulla entitas potest realiter esse aliud à se ipsa, vt constat. Tametsi bene possit aliqua entitas per relationem à se distinctam, & sibi super additam ad se ipsam referri, vt refertur ad se intellectus per cognitionem, quæ se ipsum cognoscit, & voluntas per amorem, quo se ipsam amat; quemadmodum dicebamus in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 1. citatâ. Ex hac suppositione inferitur, nullum attributum intrinsecum Deo, atque adeo prorsus cum illo identificatum esse per se intrinsecè, & entitatiue relatiuum realiter ad quidpiam aliud, aut ad Deum ipsum: quia omnia huiusmodi attributa entitatiue non sunt aliud ab ipso Deo, siue ab ipsâ entitate Dei. Quomodo autem attributa scientiæ, & amoris de creaturis quoad suam entitatem sint ab eis absoluta, sicut & cætera, & nihilominus quoad denominationem, qua Deum scientem, & amantem illas denominant, ad ipsas sint respectiua, seu relatiua, etiam si quoad hanc item aliquo modo sint intrinseca Deo, tractat.

de Scientia, & Voluntate Dei examinandum, atque determinandum est. His potest fit.

Pro.

## Propositio 1.

50 Omnia attributa diuina ex suo, quem habent, aut possunt habere, conceptu formali prout in conceptione nostra obiectiue, relatiua sunt ad aliud quidpiam distinctum à se, saltem ratione nostra.

Quia pleraque concipiuntur à nobis, & omnia possunt concipi, per modum actus aut primi, aut secundi propter modum connaturalem, quem iudicandi habemus, attribuendique per iudicium actum subiecto. De conceptu autem intrinseco omnis actus est respicere alium conceptum tanquam terminum, atque etiam suum subiectum, prout asserimus, & explicauimus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & disput. 8. quæst. 2. & 3. Quæ ad rem recognoscendæ sunt.

51 Adde, attributa illa, quæ expressè non concipiuntur, (tamest possent), per modum actus ad aliud quidpiam tanquam ad terminum relati, qualia videntur esse bonitas, veritas, & similia, plerumque concipi vt formas quasdam relatas, saltem vt ad subiectum, ad essentiam diuinam. Et vniuersim omne attributum, dum Deo attribuitur per actum essendi substantiuum, vt cum dicimus, *Deus est bonus; Deus est vnus; Deus est sanctus, &c.* ipsum actum essendi claudit in suo conceptu adequato: quia, quod attribuimus Deo per ista iudicia, non est *bonus, vnus, & sanctus præcisè, sed esse bonum, esse vnum, & esse sanctum*. Quo circa in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. vniuersaliter docuimus, in omni propositione de verbo substantiuo est ipsum verbum; siue actum essendi significatum per illud esse partem, imò potissimam prædicati: atque adeò, sicut nulla datur propositio vocalis sine verbo aut adiectiuo, aut substantiuo, ita nullam dari obiectiuam sine actu significato per ipsum verbum aut adiectiuo, aut substantiuo; eoque se habente ex parte prædicati, scilicet aut tanquam integro prædicato, si sit adiectiuus, aut tanquam parte potissima prædicati, si sit substantiuus.

52 Ex quibus tandem concluditur, omnia attributa, siue prædicata diuina in suo conceptu formali, siue prout sunt in conceptione nostra obiectiue, actum aliquem importare aut adiectiuum, & sibi proprium, qualem important pleraque, & possunt omnia, aut substantiuum omnibus commune, qualem omnia importare possunt, quatenus omnia per actum essendi substantiuum possunt de Deo prædicari, siue ipsi attribui; atque ita omnia attributa, siue prædicata diuina in suo conceptu formali relationem, siue respectum subiecti ad terminum importare, qualis omnis actus est ex suo conceptu iuxta dicta; eoque iure omnia attributa, siue prædicata diuina ex suo conceptu formali relatiua, seu respectiua dici posse.

## Propositio 2.

53 Relatio, quam important in suo conceptu formali attributa intrinseca Deo, supposititia est, & rationis.

Quia, vt constat ex dictis suppositione secunda, attributa intrinseca Deo non sunt à parte rei entitatiue respectiua, seu relatiua; subin-

deque relatio illa, quam important in suo conceptu formali iuxta dicta propositione precedenti, à parte rei non datur; argue ita relatio rationis venit dicenda, non tamen ficta, sed supposititia iuxta dicta in Pharo Scient. disput. 12. sepeque alias, vnde patet, attributa intrinseca Deo, de quibus agimus, absoluta à parte rei venire dicenda, & relatiua dumtaxat per nostram rationem. Adde, de quibus agimus; quia iam excepi-mus ab hac classe attributa personalia, atque etiam actus scientiæ, & amoris, De quibus agendum suo loco.

## Propositio 3.

54 Relatio etiam, quam important in suo conceptu formali attributa semiextrinseca Deo, aut semper, aut fere semper est supposititia, & rationis.

Quia semper, aut fere semper talis relatio nullatenus datur à parte rei in fundamentis reallibus talium attributorum; tameft aliquando aliquod, aut aliqua eiusmodi fundamentorum entitatiue sint relatiua, sed aliter, quam conceptus formalis attributi fundati in illis, & ad diuersum terminum. Quo circa attributa ista semiextrinseca tunc absoluta realiter, & per solam nostram rationem relatiua venient dicenda, quando in eorum reallibus fundamentis nulla reperta fuerit realis relatio; tunc verò & realiter, & per rationem relata dici poterunt, quando aliquod ex fundamentis reallibus relatiuum fuerit re ipsa; sed diuersimodè tamen, si huius relatio, & quam importat conceptus formalis, diuersè fuerint, siue ad diuersum terminum. Absque breuitatis gratia ab exemplis, quæ facile quisque poterit excogitare.

## Propositio 4.

55 Relatio, quam important in suo conceptu formali attributa extrinseca Deo, interdum supposititia, & rationis venit dicenda. Interdum non item.

Quia interdum relatio importata in conceptu formali talium attributorum nullatenus à parte rei datur; eo quòd fundamenta realia eius vel sunt absoluta, quo casu per rationem tantum erunt attributa relata; vel sunt diuersimodè relata, quo casu attributa tum per rationem, tum realiter, sed diuersimodè tamen, relata dicentur. Interdum verò relationi, quam importat conceptus formalis talium attributorum, à parte rei correspondet relatio realis eiusdem rationis, siue prorsus similis ipsi; quo casu aptius fortasse dicentur talia attributa absolute, & absque vilo addito relata realiter: tameft relatio importata in eorum conceptu formali eadem omnino non fit cum ea, quæ à parte rei datur, hoc ipso, quòd hæc, non per speciem propriam, & in se, sed per alienam, & in substituto alieno, atque adeò aliter, quam est in se, cognoscitur; eoque titulo illa importata in conceptu formali, non prorsus ineptè poterit ab vno quoque, si placet, dici supposititia, & rationis. In quo solum potest esse dissidium de modo loquendi. Sint autem pro exemplo huius postremi casus prædicata harum propositionum, *Deus producit creaturam; Deus vniuitur humanitati Christi; & cetera, si quæ*

que sunt huiusmodi. Pro alijs verò casibus facile poterit vnusquisque exempla inuenire.

QVAESTIO VI.

*Verum essentia Dei in suo conceptu formaliter includat attributa tum personalia, tum communia. Vel è conuersò ipsa attributa essentiam in suo. Aut etiam inuicem sese.*

56 **Q**uestio hæc distinctionis gratiâ in quinque partes, quas sigillatim tractant Doctores, diuidenda est. 1. An essentia diuina formaliter in suo conceptu includat attributa personalia, seu relationes. 2. An relationes vice versâ includant essentiam. 3. An essentia pariter includat attributa communia. 4. An attributa communia similiter includant essentiam. 5. An ipsorum attributorum alia in alijs mutuo includantur. Quæ omnia sub prefixo questionis titulo complexus sum; quia ab eisdem ferme principijs dependet eorum resolutio. Procedit autem questio damtaxat inter Catholicos, qui, præter distinctionem personarum, nullam aliam distinctionem absolutè realem agnoscunt in diuina substantia; & de attributis, realiter identificatis cum Deo, atque adeò ipsi profus intrinsecis; non verò de reliquis aut semiextrinsecis, aut extrinsecis.

57 Circa primam ergo questionis partem duplex sententiâ est. Prima affirmat, relationes diuinas de conceptu quiditativo essentiae esse, siue in eo includi formaliter. Ita Aureol. in 1. distinct. 1. quest. 1. artic. 2. & seqq. & distinct. 33. quest. 1. artic. 1. & 3. Bannez. 1. par. quest. 27. artic. 2. quest. 1. artic. 1. & 3. Bannez. 1. par. quest. 29. col. 3. in 4. dub. 3. & Valent. lib. 1. de Trinit. cap. 29. col. 3. in 4. argum. Secunda verò sententiâ ex aduersò docet, personalitates diuinas de conceptu essentiae non esse. Ita Scotus, & omnes Scotistæ, Egid. de Present. lib. 5. de Beat. quest. 13. art. 2. Fonsæ. lib. 7. Metaph. cap. 8. quest. 2. sect. 7. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 9. Canar. 1. par. quest. 28. artic. 2. disput. 2. & 3. Zumel. ibid. quest. 3. Molin. disput. 6. Vazq. disput. 12. Arrub. disput. 101. cap. 3. Granad. controu. 5. tract. 3. disput. 4. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 5. & 6. Ruiz disput. 14. de Trinit. sect. 2. & seqq. Alarc. tract. 5. disput. 2. cap. 11. Tann. disp. 4. quest. 3. dub. 3. Arriag. tom. 1. in 1. par. disput. 48. sect. 3. Recup. lib. 3. de Deo quest. 11. & apud eos alij plures ex Antiquioribus.

58 Circa secundam partem questionis duplex etiam sententiâ est. Prima asserit, essentiam diuinam in conceptu quiditativo personalitatum, siue relationum includi. Pro hac stant Bellarm. Canar. Zumel, Arrub. Granad. & Recupit sup. Soar. cap. 7. & Ruiz disp. 13. de Trinit. sect. 1. & seqq. cum alijs, diuerso modo phylosophantes de inclusione relationum in essentia, ac de inclusione essentiae in relationibus. Negant enim primam, vt vidimus; & affirmant secundam. Stant in super pro hac eadem sententiâ Alex. Mars. Capreol. & Henr. apud Ruiz. Nec non Aureol. & Bannez n. præced. relati; qui vtramque inclusionem affirmant, relationum, scilicet in essentia, & essentiae in relationibus. Secunda vero sententiâ est, essentiam diuinam in conceptu quiditativo relationum nequaquam includi formaliter.

Sic censent Molin. Vazq. Tann. & Arriag. supra Alarc. cap. 13. cum alijs. Qui eodem modo phylosophantes de inclusione relationum in essentia, ac de inclusione essentiae in relationibus vtramque negant. Pro qua sententiâ stant etiam Scotus, & omnes Scotistæ.

Circa tertiam partem questionis triplex est sententiâ. Prima affirmans in conceptu quiditativo essentiae diuinæ formaliter includi attributa. Ita Canariens. 1. p. quest. 28. art. 2. disp. 2. Bannez. ibid. Zumel. disp. 3. & 8. Molin. disp. 4. Soar. disp. 30. Met. sect. 6. & lib. 1. de attrib. cap. 11. & lib. 4. de Trinit. cap. 5. Arrub. disp. 10. cap. 13. Granad. controu. 1. tract. 2. disp. 7. Egid. de Present. supra quest. 7. art. 1. Ruiz disp. 8. de Scient. sect. 8. Recupit. lib. 3. de Deo quest. 10. Quiros disp. 18. de Deo sect. 1. & apud eos alij. Secunda sententiâ eiusmodi inclusionem negat. Pro qua sunt omnes Scotistæ. Fonsæ. supra, Vazq. disp. 119. Gilli. 1. p. lib. 2. tract. 2. cap. 3. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 7. n. 3. 2. Alarc. 1. p. tract. 5. disp. 2. cap. 12. Fasol. quest. 4. art. 2. dub. 1. & seqq. Tann. disp. 2. quest. 2. dub. 5. Arriag. tom. 1. in 1. p. disp. 16. sect. 2. Apud quos Alex. Albert. Ricard. Capreol. Ferran. Abul. & alij plures. Tertia sententiâ distinguit in attributis rationem substantiæ à ratione propriâ singulorum, & quoad primam dicit includi in essentia, secus quoad secundam. Sic Recentiores relati à Tann. n. 2.

60 Circa quartam partem questionis. Prima sententiâ est, omnia, & singula attributa communia in suo conceptu formaliter includere essentiam diuinam. Ita Bannez 1. p. quest. 28. Zumel. ibid. Canariens. disp. 2. Molin. disp. 4. Soar. disp. 30. Met. sect. 6. & lib. 1. de attributis cap. 12. Granad. controu. 1. tract. 2. disp. 7. citatâ. Recup. quest. 11. citatâ & alij. Secunda sententiâ opposita est, nequaquam essentiam diuinam includi in attributis formaliter. Tenent Scotistæ, Vazq. dictâ disp. 119. Gilli. lib. 2. tract. 2. cap. 7. Fasol. supra n. 82. & seqq. Alarc. sup. cap. 13. Tann. dub. 6. Arriag. & Quiros sup. cum Alex. Albert. Egid. Capreol. Ricard. & alijs ab eis relatis.

61 Circa quintam denique questionis partem. Prima sententiâ affirmat, singula attributa diuina mutuo se includere in proprijs conceptibus formaliter. Sic Bannez. Zumel. Canar. Molin. Granad. citati n. præced. Soar. ibidem cap. 13. Recup. sup. quest. 12. & alij. Secunda sententiâ id negat. Sic Scotistæ, Vazq. Alarc. Tann. Arriag. eodem n. cit. Gill. ibidem cap. 8. Fasol. n. 84. & seqq. Quiros sup. sect. 3. cum S. Thom. S. Bonavent. Albert. Ricard. Capreol. & alijs ab eis relatis.

62 Suppono primò tanquam certum apud omnes, si sermo sit de essentia physica Dei completente in suo conceptu quidquid realiter est Deus iuxta acceptionem talis essentiae commemoratam à nobis supra disp. 1. quest. 10. omnia diuina attributa tam personalia, quam communia intrinseca ad essentiam Dei pertinere: quia omnia sunt realiter ipse Deus. De quo inter Catholicos nullum dissidium esse potest. Verum impresentiarum non agitur de essentia Dei sic physice acceptâ, sed de essentia Dei sumptâ theologice, & metaphysice prout condistinctâ à relationibus, & attributis iuxta acceptiones latè expofitas quest. citatâ.

63 Suppono secundò contra Scotistas, ex natura rei, & ante omnem intellectus operationem, nequaquam attributa diuina, seu personalia, seu

communis esse formaliter extra conceptum essentiae, aut e converso essentiam extra conceptum talium attributorum, aut vnum attributum ex communibus extra aliud. Quia, vt contra ipsos ostendimus in Phisico Scient. disp. 13, quest. 5, nulla inter hæc datur ex natura rei distinctio formalis; sublata autem distinctione formali ex natura rei, repugnat, quod ea ex natura rei inuicem se excludant formaliter, vt constat. Quare, licet de caritate verbo tenus conspirare videantur cum Theologis, qui extra Scholam Scoti denegant essentiam, & attributis inclusionem formalem; re tamen ipsa valde ab eis dissident; cum alij de inclusione formali ex natura rei, alij de inclusione formali dumtaxat per rationem loquantur. Quo circa Scotista per ea, quae dicta quest. 5, produximus, iterum à controuersia praesenti reiecti sunt. Venietque illa proinde deinceps solùm agitata inter eos, qui solam distinctionem rationis inter diuinas perfectiones admittunt.

64 Suppono tertio, essentiam Dei, & relationes inuicem sese excludere virtualiter in ordine ad aliquam praedicta contradictoria re ipsa, & ante omnem intellectus operationem, Sic tenet Arriaga, disp. 48, sect. 3. citata; & constat ex doctrina tradita supra quest. 2. Vbi statuimus, essentiam Dei & relationes in ordine ad dicta praedicta virtualiter esse inter se distinctas, puta adaequatè. Quod iure non possunt non se mutuo excludere virtualiter; quandoquidem quaecumque adaequatè distincta sunt, necessario se excludunt inuicem eodem modo, quo distincta sunt. In quo supposita distinctione virtuali essentiae, & relationum, nulla noua difficultas occurrit pro mutua exclusione, si oportet pacto non se excludunt vicissim essentia, & attributa communia, neque attributa ipsa inter se non suscipienda praedicta contradictoria quia virtualiter inter se distincta non sunt, vt ibidem statuimus. Quibus suppositis, solùm restat in praesenti controuertendum de inclusione, vel exclusione per rationem essentiae, & attributorum Dei tam personalium, quam communium; supposito, quod per rationem sunt ea distincta inter se, vt statutum est etiam quest. 2.

Suppono quarto, semel negata praecisione obiectiua inter attributa Dei, & essentiam, nequaquam posse quaestionem hanc locum habere, nisi negatione, & ridiculè; vt videant non Praescindentes, quam sit necesse, eos passim offendere, semel negatis praecisionibus. Ostendo id clarè. Quia, si essentia diuina formaliter, & ex proprio conceptu est totus Deus relatus ad tale connotatum, aut cognitus per talem cognitionem, & quoduis attributum pariter est totus ipse Deus relatus ad aliud connotatum, aut cognitus per aliam cognitionem, vt philosophantur non Praescindentes; idem erit quaerere, an essentia Dei includatur in attributo, aut e contra, ac quaerere, an totus Deus relatus ad vnum connotatum, vel vnam cognitionem includatur in toto Deo relato ad alium connotatum, vel aliam cognitionem, aut e contra. Quam quaestionem, quis non censet, esse ridiculam? Quando ex terminis euidenter cunctis apparet, neque totum Deum in toto Deo includi posse, neque inter cognitiones, vel connotata adaequatè inter se distincta posse esse inclusionem.

66 Confirmatur primò, Quia negantes obiectiuas praecisiones eo ipso dicunt, ex parte cognitionum dumtaxat, non vero ex parte obiecti

dari distinctionem rationis, quia attributa Dei, & essentia distingui dicuntur; ita quod obiectum significatum per omnia, & singula Dei nomina, omnino sit idem, totaque diuersitas solùm ex parte cognitionum talibus nominibus correspondentium se habeat. Quo semel posito, quis non videat, e medio tolli totam materiam controuersiae praesentis? Si quidem neque est dubitabile, an Deus totus aut intra se, aut extra se ipsum adaequatè esse possit; neque, an cognitiones diuersae, quibus cognoscitur, inuicem sese excludant, aut secus.

Confirmatur secundo. Quia, si nomen essentiae, totum, quod est Deus, re ipsa aequè expressè significat, vt non praescindentes supponunt, pariterque nomen sapientiae; quidquid dicantur talia nomina connotare insuper, seu consignificare extra Deum; nullus controuersiae praesentis super est locus; cum sit certissimum, tam non posse esse Deum totum adaequatè extra se, quam non posse connotata illa, siue significata extrinseca realiter sese mutuo includere. Praterquam quod controuersia praesens de inclusione, aut exclusione per rationem dumtaxat agit, qualis nec toti Deo comparatione sui, nec connotatis realiter inter se distinctis potest competere.

Confirmatur tertio. Quia, quidquid sit de connotatis extrinsecis, quaestio hæc tantum dirigitur ad perfectiones Deo intrinsecas, realiterque cum ipso identificatas; cum totus eius scopus sit examinare, an tales perfectiones absque mutua sui inclusione possint, aut non possint manere ex proprijs conceptibus perfectiones verè diuinae, verè infinitae, & verè dignae Deo. Quod examen, edemptum est, in sententia non praescindentium nullum habere locum; quandoquidem apud ipsos omnes perfectiones Dei quo ad intrinsecum vnicius est, & simplicissimus, ac prorsus indiuisus conceptus.

Confirmatur quarto. Quia omnes Theologi commemorati, qui exagitant, & resoluunt istam quaestionem, manifestissimè supponunt, praecisiones obiectiuas essentiae, & attributorum Dei. Quando tractantes planè de eorum conceptibus obiectiuis intrinsecis Deo, realiterque tum inter se, tum cum Deo ipso identificatis, qui negant ipsorum inclusionem, nullo sese obiectiuè excludentes, atque adeo mutuo inter se obiectiuè praecisos esse, defendunt: qui verò talem inclusionem affirmant, (vt distinctionem nihilominus rationis inter conceptus ipsos obiectiuos retineant), dicunt in singulis eorum expressè quoad proprias rationes cognitit relinquitur implicitè imbibit, confusèque subinde cognosci, (vt in conceptu explicito rationalis implicitè imbibitur, & cognoscitur ratio entis). Quod etiam, est obiectiuè praescindere penes maiorem cognitionis, atque maiorem expressionem. Praterquam quod Auctores huius factionis de plano fatentur, huiusmodi conceptus inclusionem soli Deo suam perfectionem infinitudinem conuenire, non creaturis. Quo planius in his praecisiones obiectiuas admittunt. Vnde perspicies obiter, quam de mente omnium Theologorum, tum antiquiorum, tum modernorum praesentem quaestionem tractantium sint praecisiones obiectiuas; quas pauci quidam recentis Philosophi minus fortasse cautè, quam par esset, abijciunt, quibus subinde relegatis à quaestione praesenti, iuxta obiectiuè Praescindentes dumtaxat est ea, exagitanda deinceps, & definienda.

Vnde

70 Vnde suppono quintò, neque habere locum  
 quæstionem circa videntes intuitiue perfectiones  
 diuinas; quia, vt constat ex doctrinâ statuta  
 quæstione 2, illi non distinguunt in Deo formalitates,  
 sicut nos, sed, quidquid Deus realiter est,  
 vnico simplicissimo complectuntur obtutu: subla-  
 71 rã autem pluralitate conceptuum obiectiuorum,  
 non est locus quærendi, an vnus conceptus obie-  
 ctiuus claudatur in alio, vel secus. Reducitur  
 igitur totalis præsens ad formalitates diuinas,  
 prout à nobis in præsentî statu distinctæ, præc-  
 laque concipiuntur. Quoniam verò formalitates  
 diuinz, & in abstracto, & in concreto sumi pos-  
 sunt, vt quæst. 1. notauimus, sciendum est, de  
 eis in abstracto sumptis agi potissimum in præ-  
 senti quæstione, prout ab Auditoribus tractatur,  
 Addam tamen ego ad extremum non nihil de  
 eisdem etiam acceptis in concreto.

Propositio 1.

71 Essentia Dei in suo conceptu non clau-  
 dit relationes formaliter, seu, quod in idem  
 recidit, relationes non sunt de quiditatiuo  
 essentia conceptu.

In hanc propositionem nobiscum conueniunt  
 pene omnes Theologi relati, etiam qui centent,  
 essentiam includi in relationibus. Probatur au-  
 tem primò ex communi modo loquendi Patrum  
 asserentium, quæ sunt propria diuinarum perso-  
 narum, non esse essentialia, aut communia, sed  
 personalia; siue non dici essentialiter, seu substan-  
 tialiter, sed relatiue. Quæ loquutiones falsæ es-  
 sent, si relationes diuinz essent de conceptu Dei-  
 tatis. Multa horum Patrum testimonia reperies  
 apud præcitatos Theologos, præsertim apud  
 Ruiz disp. illa 14. de Trinitate, scilicet 2. & seqq.

72 Secundò probatur: quia, quidquid est de  
 essentia Dei, est de essentia singularum persona-  
 rum. Sed tres relationes non sunt de essentia singu-  
 larum personarum. Ergo tres relationes non sunt  
 de essentia Dei. Hoc argumentum est Boetij in li-  
 bello *Vtrum Pater, & Filius &c.* Maior est certa;  
 quia, cum quælibet trium personarum sit verus  
 Deus, vt docet fides, necesse est, vt habeat quælibet  
 totam essentiam veri Dei. Minor etiam est certa:  
 quia si de conceptu essentiali Patris esset relatio Fi-  
 lij, & de conceptu essentiali Patris, & Filij relatio  
 Spiritus sancti, aut è contra, neutiquam constare  
 posset mysterium Trinitatis, vt liquet. Conse-  
 quentia autem est legitima: quia syllogismus est  
 in *Baroco*: secundæ figuræ.

73 Tertio probatur: quia, vt constat ex Con-  
 cilio Lateran. cap. *Damianus* de summa Trinitate,  
 & fide catholica, ex Concilio Florent. in  
 decreto Vnionis, & ex alijs, Pater totam suam  
 essentiam, substantiam, siue naturam communi-  
 cat Filio, Paternitatem verò non item. Quod  
 falsum esset, si in conceptu naturæ Patris intrin-  
 secè includeretur Paternitas, vt est notissimum.  
 Deinde falsum etiam esset, quælibet trium perso-  
 narum esse naturam, seu essentiam diuinam con-  
 tra eiuſdem cap. *Damianus* definitionem, si in  
 conceptu essentia diuinz tres personalitates, &  
 consequenter tota Trinitas contineretur: quia  
 falsum est, quælibet trium personarum esse in-  
 tegram Trinitatem. Præterea, si de conceptu  
 essentia esset Paternitas, & Filiatio, nihil de-  
 esset quominus essentia dici posset generare, &  
 gigni contra decretum eiuſdem capituli *Dama-*

*mus*. Sequeretur insuper, de conceptu quiditatiuo  
 Patris esse Filium, & consequenter Filium nec  
 posse distingui, nec posse produci à Patre: quia  
 de conceptu quiditatiuo Patris est, quidquid est  
 de conceptu quiditatiuo essentia, seu Deitatis in-  
 clusa in Patre. Sequeretur tandem contra Con-  
 cil. Tolet. 11. & Patres, Deitatem non solum esse  
 ad se, idest absolutam, sed etiam ad aliquid, idest  
 relatiuam, &c.

74 Quartò probatur: quia, vt arguit idem  
 Boet. supra, cum personæ sint inter se diuisæ, &  
 essentia sit indiuisa, prorsus repugnat, vt perso-  
 næ intrinsicè in conceptu essentia includantur.  
 Tum essentia tota est communis, & absoluta, vni-  
 ca prorsus, & indiuidua, vt habetur cap. *Firmiter*,  
 & cap. *Damianus* citato, necnon in Concilio To-  
 let. 11. in professione. fid. col. 3. Ergo nequit in se  
 inuoluere proprietates relatiuas realiter inter se  
 discretas, siue distinctas.

75 Quintò; ratio in geniti, siue innascibilis  
 non pertinet ad naturam Dei, vt contra Ari-  
 nos constanter docent Patres apud Ruiz dicta  
 sect. 2. num. 16. ne possit inferri aliqua diuersitas  
 in naturâ Patris, & Filij. Sed multo clariùs in-  
 ferretur ista diuersitas, si Paternitas, & Filiatio  
 ad ipsam naturam Dei pertinerent. Ergo. Con-  
 firmatur: quia Pater prius origine, quàm gene-  
 ret Filium, est completè, & essentialiter Deus.  
 Ob id enim Athanas. orat. contra Gregales Sa-  
 bellij paulò post medium dicit, *Vniuersitas*,  
*plenitudo, & integritas Deitatis est Pater vt Pater*.  
 Et Nizana fides apud Nazianz. orat. 49. & 50. pro-  
 fiteretur. *Filium esse Deum de Deo, perfectum de per-  
 fectio, totum à toto, plenum à pleno*. Et in Concil.  
 Tolet. 11. in professione fid. col. 3. dicitur vnaquæ-  
 que persona plenus Deus. Ergo Filiatio non spe-  
 ciat intrinsicè ad essentiam Deitatis.

76 Mitto alia, quæ fieri possent, huius gene-  
 ris argumenta. Quæ, me quidem iudice, non  
 solum probant, relationes personales non claudi  
 per nostram rationem in conceptu, quem nos  
 formamus de essentia Dei: verum etiam à patre  
 rei virtualiter esse extra essentiam ipsam iuxta  
 doctrinam præmissam num. 64. Quoniam veri-  
 tates catholicæ, quas circa Trinitatis mysterium  
 tenemur credere, absque eiusmodi virtuali exclu-  
 sione per solam exclusionem rationis saluari non  
 possunt, vt constat ex dictis à nobis in Pharo  
 Scient disput. 13. quæst. 6. & 7. Nam, quæ ibide,  
 distinctione virtuali essentia, & relationum sta-  
 tuimus, quæ conueniunt virtuali exclusioni,  
 quæ in idem cum distinctione recidit. Speciarim  
 verò non posse non relationes diuinas, prout con-  
 cipiuntur à nobis, esse extra conceptum essen-  
 tia, per ea argumenta probandum venit, quibus  
 ibid. quæst. 9. ostendimus necessariò præscindere  
 nos obiectiue pro statu præsentî relationes ab es-  
 sentia, & è contra, Quoniam exclusio obiectiua,  
 de qua modo agimus, perinde se habet, quod  
 ad rem attinet, atque præcisio obiectiua, de  
 qua ibi: vt ponderabimus ampliùs propositione  
 sequenti; vbi alia argumenta insuper produ-  
 cemus, quibus hæc pariter probetur.

77 Sed opponit. Valent. citatus pro sententia  
 opposita num. 57. primò quædam verba Athanas.  
 & Nazianz. quibus docere videntur, personas di-  
 uinas intrinsicè ad conceptum diuinitatis specta-  
 re. Quibus adiungit Ruiz disput. 14. cit. sect. 1.  
 & 6. plura alia Patrum testimonia id ipsum  
 quoad speciem diuersis modis denotantia. Sed  
 omnes ita explicandi sunt, vt tantum velint aut  
 rea-

realem identitatem inter personas, & essentiam, aut aliam veritatem catholicam spectantem ad mysterium Trinitatis adstruere. Inclusio quippe personalitatum in essentia potius aduersatur mysterio; vt constat ex dictis; & ex dicendis amplius constabit.

78 Secundò opponitur ex ipso Valent. In Deo nihil esse potest accidentarium & extrinsecum. Ergo personalitates diuinae non possunt non esse de essentia Dei. Respondeo, personalitates diuinas non esse Deo accidentarias, aut extrinsecas. Primò; quia constitunt essentiam Dei sumptam pro tota physica Dei realitate, quo sensu interdum accipiunt Patres essentiam Dei, sive Deitatem, vt notat Ruiz sect. 4. num. 9. & 10. estque philosophica acceptio essentiae Dei physicae; vt nos docuimus disput. 1. quast. 10. Secundo; quia, licet personalitates non intrepere conceptum essentiae Dei aut metaphysicae, aut theologicae, de qua agitur in praesenti quast. iuxta notationem praemissam num. 62. realiter tamen summè identificantur cum illa. Quod satis est, vt ne tali quidem essentiae accidentariae, vel extrinsecae ex natura rei dici possint.

79 Tertio obijci potest. Deus essentialiter est trinus. Ergo tres personalitates intrant essentiam Dei. Respondeo, si Deus capiatur pro tota realitate diuina in omni sensu esse essentialiter trinum, vt constat ex dictis num. praeced. si verò pro natura diuina cum praecisione à personalitatibus, tatenus adhuc dici posse essentialiter trinum, quatenus tales personalitates cum summa necessitate identificat sibi; non quòd includat illas in suo conceptu. sic à magis, etiam magis, etiam

80 Quarto. Si Deus esset vnica tantum persona; vnica illa personalitates clauderetur in eius essentia. Ergo & modo clauduntur tres. Distinguo antecedens. Clauderetur in eius essentia physica concedo; in eius essentia metaphysica, aut theologica; nego. Quod ipsum asserimus modo de triplici personalitate.

81 Quinto. In Deo vnica tantum essentia datur: Sed personalitates ex proprijs conceptibus habent essentiam: quia ex proprijs conceptibus non sunt nihil, ergo essentia personalitatum eadem est essentia, quae Dei; subindeque personalitates ipsae non possunt non pertinere in trinitate ad conceptum essentiae Dei. Respondeo, est in Deo datur vnica tantum essentia simpliciter dicta tum physica, tum metaphysica, tum theologica, dari tamen nihilominus triplicem essentiam relativam transcendentalem propriam singularum Dei personalitatum, inclusam quidem in essentia physica Dei, sed condistinctam tum per rationem nostram, tum virtualiter ab essentia Dei theologica, & metaphysica, de quo latius in tractatu de Trinitate.

82 Sextò. Pater non habet aliam essentiam, nisi Dei. Sed Paternitas est de essentia Patris. Ergo Paternitas est de essentia Dei. Distinguo maiorem. Pater non habet aliam essentiam metaphysicam, & theologicam, nisi Dei; concedo; non habet aliam transcendentalem distinctam per rationem, & virtualiter ab essentia Dei; nego. Deinde minorem. Sed Paternitas est de essentia Patris metaphysica, & theologica; nego; de essentia Patris transcendentali; concedo. Et nego consequentiam. Mitro alia leuio.

## Propositio 2.

Neque relationes, seu personalitates diuinae sumptae in abstracto includunt in suo conceptu formaliter essentiam Dei.

Haec propositio est contra Soar. Granad. Ruiz, & alios relictos n. 58. Quos, miror, tam intrepide affirmare, & defendere inclusionem essentiae Dei in relationibus, quando tam acriter impugnant inclusionem relationum in essentia propter absurda, quae ex hac posteriori censent inferri contra mysterium Trinitatis. Existimo enim, eadem, aut similia sequi ex priori. Quod vt ostendam, incipio primo ab argumentis, quae probant conceptum essentiae non solum per rationem nostram, sed etiam à parte rei virtualiter esse extra conceptus relationum; quales etiam sunt, vt notauimus, adducta tum à nobis, tum à dictis Auctoribus pro praecedente propositione.

Sit, primum. Filiatio est producta; Essentia non est producta. Ergo essentia non est de conceptu quiditativo Filiationis. Patet consequentia; quia repugnat conceptum aliquem esse productum ipsius quiditate, seu formali essentia improducta. Respondet Granad. sect. 3. n. 18. id repugnare; quando talis conceptus omnino est indivisibilis; sed si habeat duo praedicata per rationem saltem distincta; quae habet Filiatio; quae per rationem nostram in duas formalitates diuidi potest, alteram communem tribus personis; alteram propriam Filij secundum explicitam rationem.

Sed contra primò. Vel haec ratio explicita propria Filij, cui conuenit formaliter esse productam; excludit à suo conceptu essentiam; vel non. Si excludit. Ergo iam datur in Filio aliqua formalitas non claudens essentiam in suo conceptu; quo corrumpit totam aduersariorum doctrinam; nam ea formalitas est, quam nos dicimus Filiationem. Si non excludit; vt certè non excludit in eorum sententia; prout exprimit saepe Ruiz disput. illa 13. cit. redit iterum argumentum; quia repugnat, eam rationem explicitam propriam Filij productam esse, sua ipsius quiditate, formalique essentia non producta. Quod si iterum recurratur ad distinctionem rationis, iterum argumentum redibit; & sic in infinitum.

Contra secundò. Quia supposito, quòd essentia vsque ad vltimas differentias relationum per inclusionem transcendit; qua ratione Aduersarij putant transcendere rationem entis vsque ad vltimas differentias substantiae, & accidentis, passim se protegentes exemplo isto ad suam sententiam defendendam; nullatenus poterit Filius adhuc per rationem distingui ab essentia, estò e conuersò possit essentia distingui à Filiatione. Quo remanet integra difficultas; quia distinctio non distinguens Filiationem ab essentia nihil potest conferre, vt possit; non producta essentia, produci Filiatio, vt est notum. Et senè, supposito, quòd ens transcendat per inclusionem vsque ad vltimas differentias, vt supponunt Aduersarij, nequit vtiq; adhuc per rationem nostram, nedum re ipsa, conuenire aliquid vltimis differentijs quod non conueniat rationi entis in eis imbita; quandoquidem illa sine hac medullitis in ipsis inclusa ne cogitari quidem à nobis possunt. Ergo similiter, supposito, quòd essentia diuina per

per inclusionem etiam transcendit penitus usque ad ultimum relationum, uti etiam supponunt, ne per rationem quidem nostram poterit convenire Filiationi produci, quin etiam conveniat essentia; nedum re ipsa, ut fides docet convenire.

87 Contra tertio. Quia hoc genus transcendentia per inclusionem prorsus est impossibile, ut monstravi in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 20. Eo autem fundamento sublato, funditus corrumpit tota Aduersariorum doctrina.

88 Contra quarto. Quia distinctio rationis inter essentiam, & Filiationem, est sit mutua, non est sufficiens ad euacuandam contradictionem, quam præ se ferunt hæc prædicata, produci Filiationem, & non produci essentiam; sed in super requiritur aliqua distinctio æquales, seu virtualis ad id muneris, ut ibidem disput. 13. quæst. 6. & 7. ostensum est. Distinctio autem virtualis in ordine ad dicta prædicata non potest non esse virtualis exclusio essentia; à Filiatione, & Filiationis ab essentia: siquidem produci, & non produci, ne sint contradictoria, de conceptibus mutuò inter se distinctis aut virtualiter, aut formaliter debent necessariò verificari, ut sequens impugnatio monstrabit.

89 Contra quinto. De fide est, Filium esse productum, & essentiam Filij non esse productam; & consequenter, Filium non ratione essentia; sed ratione alterius conceptus in ipso reperi esse productum. Ergo datur in Filio alius conceptus præter essentiam, cui insolidum conveniat, esse productum, quique subinde nihil includat non productum. Hic alius esse non potest, nisi Filio. Ergo Filio tota est producta; & consequenter in se non claudit essentiam, improductam. Probo has consequentias: quia id, ratione cuius Filius est productus, necessariò debet esse productum ratione sui, ut constat. Si autem non esset adæquatè productum, iam non ratione sui, sed ratione alterius conceptus in se inclusi esset productum: de quo iterum rediret quæstio, & abiretur in infinitum: de factis que essent concedenda in Filio infinita formalitates tum virtualiter, tum per rationem nostram distincta, quantum singula & aliquid productum, & aliquid improductum inuoluerent. Quam certè formalitatum infinitudinem esse impossibilem, ex terminis videtur notum. Tum, ea admittà, adhuc persistit difficultas. Primo: quia rota ea formalitatum collectio, cum sit producta, necessariò debet esse producta ratione alienius in se inclusi, quod sit productum ratione sui: nihil autem potest esse productum ratione sui, quod adæquate non sit productum, ut ostensum est. Secundo: quia, detractis ab eà collectione omnibus omnino formalitatibus improductis, quod superest, non potest non esse adæquatè productum, ut arguamur in simili argumento secundo. Urgeo, Produci simul, & non produci nequaquam convenire potest eidem conceptui, qui & virtualiter, & per rationem sit prorsus idem, ut omnes, etiam Aduersarij, fatentur. Sed toti essentia; diuina; convenit non produci. Ergo nihil est essentia; diuina; cui conveniat produci. Ergo ille conceptus repertus in Filio, cui convenit produci, nihil essentia; diuina; inuoluit in se aut per rationem nostram, aut virtualiter. Clarus. Præter id totum, quod habet Filius commune cum Patre, atque adeò omnino improductum, quod in eo superest, nequit non esse adæquatè productum, ut patet:

alias sequentur duo contradictoria simul vera, iuxta dicenda in simili argumento secundo. Ergo Filius aliquem conceptum claudit in se adæquatè productum, quem nos dicimus Filiationem. Adde, satis, superque ex se apparere prorsus imperceptibile, quod totum aliquod, qualis est Filius diuinitatum per rationem nostram, tum virtualiter, sit productum; & quod neque sit productum adæquatè secundum omnes partes, neque secundum aliquam partem, quæ sit ratione sui adæquatè producta.

Quod si respondeant Aduersarij, ut certè iuxta sua principia respondere tenentur, Filiationem esse quidem productam secundum rationem Filiationis, quam dicit explicitè; secus secundum essentiam, quam dicit implicitè. Contra sexto, Ratio Filiationis explicita aliqua est formalitas Filij explicitè cognita, ut constat. Vel ergo, qui talem formalitatem cognoscit explicitè, necessariò etiam cognoscit per eandem cognitionem explicitè essentiam; vel secus. Si cognoscit infero primò. Ergo Filio non implicitè, ut dicebatur, sed explicitè in suo explicito conceptu dicit essentiam. Infero secundò. Ergo produci Filiationem secundum eam rationem, quam dicit explicitè, formaliter est produci secundum essentiam. Quod sine ingenti absurdo dici non potest. Infero tertio. Ergo Filio vel est eadem prorsus formalitas obiectiva, ac essentia: quod etiam sine grauibus incommodis dici nequit: quia verificarentur de Filiatione, quæcumque de essentia, & è contra contra dogmata fidei. Vel est formalitas composita ex essentia, & ex alio quopiam tanquam ex partibus se se includentibus; quod cum sententià Aduersariorum coherere non potest. Nullatenus enim est perceptibile, quod aliquid repræsentetur clarè, & explicitè, & non repræsentetur vel prorsus simplex, vel compositum ex partibus se se includentibus: quia aliud compositionis genus, ut non est realiter possibile, ita nec mente est conceptibile conceptu saltem clarò, & explicito; quidquid sit de confuso. Iam verò, si dicatur secundum, ut certè ab Aduersarijs dicitur, nempe non cognosci essentiam explicitè ab eo, qui cognoscit explicitè formalitatem illam, quam dicunt relationem explicitam Filiationis; infero planè. Ergo iam in Filiatione aliqua formalitas vera datur præcisa ex parte obiecti ab essentia, & ipsam nullo modo claudens in suo conceptu obiectivo, quæ ratione sui est producta, quamque nos adæquatam Filiationem vocamus. Patet consequentia. Primò: quia præter omne illud, quod cognoscitur implicitè, quod superest cognitum, explicitè nihil implicitum potest claudere; alioquin præter omne implicitum aliquid superesset implicitum; quod implicat contradictionem in terminis, ut & paulò ante arguebam, & arguam postmodum in simili. Secundò: quia illa formalitas cognita explicitè nec potest esse eadem formalitas eum essentia; quia fieret, ut eadem formalitas cognosceretur, & simul non cognosceretur explicitè: quæ est contradictio; nec potest in se includere essentiam: quia fieret, ut essentia explicitè cognosceretur contra suppositionem. Cum prorsus repugnet, cognosci aliquod totum clarè, & explicitè, ut ponitur cognosci talis formalitas, non cognitis clarè, & explicitè omnibus partibus, ex quibus illud coalescit, ut est notissimum: alias sciri posset euidenter, existere totum; cognita solum conjecturaliter existere.

stentia alicuius partis. Quod, euidenter patet, esse impossibile.

91 Dices, Sæpe cognoscitur totum seu logicum, seu metaphysicum, seu physicum explicitè, nullâ parte eius distinctè cognitâ, Ergo & poterit cognosci, vnâ eius parte cognitâ explicitè, & altera implicitè. Hic cauenda est æquiuocatio. Aliud enim est, partes alicuius totius non cognosci distinctè, aliud non cognosci explicitè, siue clarè. Distinctè non cognoscuntur, quando earum distinctio ignoratur: quia non apparent per modum plurium, sed per modum vnus. Explicitè verò seu clarè non cognoscuntur, quando earum cognitio non clara, sed obscura est; siue repræsententur per illam vt plura, siue vt vnum quid. Dico ergo, benè posse cognosci totum explicitè, & clarè, non cognitis partibus distinctè, hoc est, ignotâ ipsarum distinctio-  
92: quia hoc nihil est aliud, quàm præscindere ex parte obiecti à distinctioe partium, si ea est realis, aut illam non facere, si est rationis. Cognosci verò totum explicitè, & clarè & non cognosci partes explicitè, & clarè quoad id, quod de illis attingit cognitio totius, omnino impossibile est; quia totum, & partes quo ad id prorsus sunt idem ex parte obiecti. Repugnat autem, vt idem conceptus obiectiuus cognoscatur simul clarè, & non clarè, vt constat.

Secundum argumentum ad nostram propositionem probandam sic potest efformari. Essentia diuina communis est Patri, & Filio. Paternitas est propria Patri, Filiatio propria Filij. Ergo in Paternitate, & Filiatione non clauditur essentia. Probo consequentiam: quia si clauderetur, aliquid Paternitatis reperiretur in Filio, & aliquid Filiationis in Patre. Quod est absurdum, Dicent, solum esse absurdum, quod aliquid proprium Patris esset in Filio, & aliquid proprium Filij in Patre; quale est quod dicunt explicitè conceptus Paternitatis, & Filiationis; nullum tamen absurdum esse, quod aliquid implicitè imbitum in conceptu Paternitatis reperiretur in Filio, & aliquid implicitè imbitum in conceptu Filiationis reperiretur in Patre, quale est essentia. Contra tamen (quidquid sic modo de terminis *explicitè, & implicitè*, qui magis rem implicent, quàm explicent, & ex superioribus dictis facile vbiq; poterit quisque illos refellere) argumentor ita. Certum secundum fidem est, aliquid esse proprium Patris, quod non conuenit Filio. Ergo necesse est, vt aliquid sit proprium Patris, cuius nihil conueniat Filio. Probo consequentiam aperte: quia si, vltra id totum, quod conuenit Filio, relinquatur quidpiam aliud in Patre proprium ipsius Patris, nequit non hoc eiusmodi esse, cuius nihil conueniat Filio; alioquin vltra omne, quod conuenit Filio, restaret aliquid conueniens Filio. Quod implicat contradictionem in terminis. Quandoquidem, si vltra omne restaret aliquid, id simul contineretur, & non contineretur sub omni; simulque subinde restaret, & non restaret vltra omne, quæ sunt contradictoria. Iam, si in Patre est aliquid ipsius proprium, cuius nihil conuenit Filio, hoc certè in conceptu suo non potest continere essentiam, quæ conuenit Filio. Ergo essentia nequit per inclusionem transcendere proprietatem Paternam; quam nos Paternitatem dicimus.

93 Et confirmari potest. Quia Pater communicat Filio omnia, quæ habet, præter proprietatem Paternam, vt fide etiam sanctum est, Ergo proprietatem Paternam in suo conceptu nihil includit eorum, quæ Pater communicat Filio. Patet consequentia: quia prorsus repugnat communicari à

Patre omnia, quæ habet, præter proprietatem Paternam, & quod proprietatem Paternam includat in se aliquid eorum, quæ communicantur. Inde enim fieret, vt communicarentur omnia, præter aliquid, quod communicatur. Quæ est contradictio in ipsis terminis. Similiter Filius omnia, quæ habet, recipit per communicationem, præter proprietatem Filij, quam accipit per productionem. Ergo proprietatem Filij producta nihil includit eorum, quæ Filio communicantur: quia aliàs cum simili contradictione Filius reciperet per communicationem omnia, quæ habet, præter aliquid, quod per communicationem recipit, in Filiatione inclusum. Pariterque varijs similibus confirmationibus id ipsum poterit quisque confirmare amplius, aut declarare.

Hoc argumentum, seu potius hic modus 94 arguendi, quem iam in superioribus tetigi, efficaciter mihi monstrat, proprietatem Paternam (& idem est de reliquis personalibus) tum per rationem nostram, tum virtualiter excludere à conceptu suo, quidquid est commune alijs personis, atque adeo essentiam.

Tertium argumentum. Si Deitas transcenderet per inclusionem personalitates, sequeretur contra fidem non solam personalitatem Verbi, sed etiam ipsam Deitatem vnitam esse immediate humanitati Christi Domini. Ergo. Probo sequelam. Primo: quia, semel posita eâ transcendentia, personalitas Verbi formalissimè est Deitas. Ergo vnio tangens personalitatem immediate nequit non etiam tangere immediate Deitatem. Secundo: quia, vt tenent Aduersarij, & exprimit Ruiz sect. 3. num. 12. impossibile est, intelligere aliquid personalitatis, in quo non includatur Deitas. Ergo nec potest intelligi vnio tangens immediate aliquid personalitatis, & non tangens pariter Deitatem. Tertio: quia, si ratio entis transcendit per inclusionem, vti supponunt Aduersarij, impossibile est, quod vnio attingat immediate personalitatem, & non attingat immediate rationem entis in illa imbitam; cum sit necesse, vt immediate attingat, vel ens, vel non ens; neque dici possit iuxta principia eorum, quod attingit non ens. Ergo, cum Deitas apud ipsos eodem modo, ac ratio entis, transcendat personalitatem, nequit non pariter tangi immediate per vnionem.

96 Vel aliter confirmo argumentum ad nostram præcedentis. Nihil eorum, quæ Verbum habet communia toti Trinitati, tangitur immediate per vnionem. Ergo præter omnia omnino quæ habet Verbum communia toti Trinitati, aliquid habet proprium, quod tangit vnio nihil includens in suo conceptu commune. Patet consequentia: quia si id proprium Verbi, quod tangit vnio, includeret in suo conceptu aliquid commune, iam vltra omnia omnino communia haberet insuper Verbum aliquid aliud commune. Quæ est contradictio in ipsis terminis, vt supra dicebamus in simili.

97 Quartum argumentum. Si Paternitas includeret in suo conceptu Deitatem, multa alia sequeretur absurda. Ergo non includit. Probo antecedens, colligendo summarie aliqua. Sequeretur enim primò, Patrem non distingui a Filio, neque ad eum referri, neque ipsi opponi ratione solius Paternitatis sibi propria, sed insuper ratione essentia Filio communis: siquidem quantumcunque reduplicetur supra Paternitatem, nequit non cadere etiam reduplicatio supra essentiam.



in Paternitate imbibitam. Secundò, personalitatem Patris non esse ex conceptu suo substantiam terminatiuam, determinatiuamque Deitatis; neque esse modum eius ex suo conceptu: aliàs essentia per se ipsam vt inclusam in Paternitate terminaretur, ipsaque esset modus sui. Quod repugnat. Tertio, idem omnino significare Paternitatem, quod Pater; & consequenter Patrem Paternitate non constitui, vt non constituitur se ipso contra communem modum loquendi Theologorum. Quarto, nugatoriè dici à Theologis, Patrem ex Paternitate, & Deitate, coalescere, ac si dicerent, coalescere ex Patre, & Deitate. Quintò, frustra laborare Theologos in examinando, an nomen *Persona* in diuinis dicat in obliquo Deitatem, vel personalitatem, vel naturam; quandoquidem personalitas, quocunque modo significetur, fert secum Deitatem. Sextò, Patrem non minùs dici posse Paternitate intelligere, amare, & producere ad extra, quam dicitur Deitate ea præstare, siue intellectu, voluntate, & omnipotentia: quandoquidem iuxta Aduersarios Paternitas formaliter est non solum Deitas, sed intellectus, voluntas, omnipotentia, & cætera omnia attributa. Septimò, Filium, & Spiritum sanctum procedere immediatè per naturam inclusam in intellectu, & volitione. Octauò, Patrem æquè immediatè referri ad Spiritum sanctum in quantum Patrem, ac in quantum Spiratorem, &c. Quæ omnia aliena sunt à consensu, & modo loquendi, non solum Theologorum, sed etiam Patrum.

98 Ad horum pleraque respondet Ruiz dicta, sect. 3. Sed non vacat sigillatim solutiones eius reffellere. Id satis sit scire, potissimum, aut penè vnicum fundamentum earum esse, quod supra iam à nobis subuersum est; nimirum Paternitatem ita significare explicitè relationem, vt affectet non significare Deitatem, etsi eam aliàs non possit non dicere implicitè. Quo posito, perinde fere philosophatur Ruiz de Paternitate, & Deitate, ac si essent formalitates inuicem se excludentes; quo prætextu commemorata absurda, vt pote nata præcisè ex inclusione Deitatis in Paternitate conatur repellere; sed sine successu, vt reor; quia, vt constat ex dictis, sibi cohærere non possunt, quòd essentia transcendat per inclusionem Paternitatem, & quòd Paternitas solam relationem dicat explicitè, non item essentiam. Præterquam quòd huiusmodi transcendentia per inclusionem vniuersaliter est impossibilis, vt iam notauimus.

99 Quintum argumentum à paritate duci potest præcedentis propositionis, & contra Soar. Granad, Ruiz, & alios speciatim, qui illam adstruentes præsentem negant. Quoniam argumenta facta pro hac non minùs efficacia sunt, quam, quæ pro illa produximus ex eisdem Doctoribus; nec minùs ad illa, quam ad hæc eludenda conferre possent effugia, quibus ipsi vim horum declinare conantur. Etenim, si relationes non includuntur in essentia: quia sequeretur, includi etiam in singulis personis, in quibus ipsa essentia includitur, iuxta argumentum secundum propositionis præcedentis. Pariter est dicenda essentia non includi in relationibus: quia sequeretur, essentiam esse productam, producta Filiatione, iuxta argumentum primum præsentis. Et, si sufficit, vt non producat essentia, producta Filiatione, in qua imbibitur, quòd Filiatione non dicat essentiam explicitè, sed tantum implicitè; etiam dici poterit, sufficere, vt non

includantur relationes in singulis personis, inclusa in illis essentia, in qua ipsæ includuntur, quòd essentia non dicat relationes explicitè, sed tantum implicitè. Deinde, si relationes non includuntur in essentia: quia sequeretur contra Concilia, & Patres, Patrem æternum non communicare Filio totam suam essentiam; eo quòd non, communicat Paternitatem in tali essentia imbibitam, iuxta argumentum tertium propositionis præcedentis. Pariter est dicenda essentia in relationibus non includi; quia sequeretur etiam, contra Concilia, & Patres, aliquid proprium Patris reperiri in Filio, & aliquid proprium Filij in Patre, iuxta argumentum secundum præsentis. Quòd si, vt nihil proprium Patris conueniat Filio, satis est non conuenire Filio Paternitatem secundum conceptum explicitum, etsi conueniat quoad essentiam, quam in se imbibit implicitè; etiam, vt Pater communicet Filio totam suam essentiam, dici poterit satis esse, quòd ei communicet quidquid essentia dicit explicitè, etsi non communicet Paternitatem, quam dicit implicitè. Præterea, si nequit essentia manere vna, indiuidua, absoluta, & communis, si in ipsa imbibantur tres proprietates relationis, iuxta argumentum quartum propositionis præcedentis; nec poterunt relationes manere tres proprietates relationis, si essentia indiuidua, absoluta, & communis includatur in ipsis. Quòd si hoc possibile est; quia tales proprietates tantum implicitè dicunt essentiam; & illud quoque poterit dici possibile: quia essentia indiuidua tantum implicitè imbibit in se proprietates.

In summa, (vt omittam cætera, quæ paritate poterit quisque applicare), si sub prætextu, quòd personalitas diuina implicitè tantum dicit essentiam, quam includit in se medullitùs, explicitè verò proprium conceptum relationum, perinde fas est philosophari de personalitate, & essentia, ac si essent formalitates inuicem se excludentes, vt Aduersarij philosophantur in ordine ad euadendum difficultates, quæ ex tali insurgunt inclusione. Etiam, supposito, quòd essentia vice versà implicitè tantum dicat personalitatem in se intimè imbibitam, explicitè verò proprium conceptum absolutum, intergrum erit philosophari de essentia, & personalitate perinde, ac si essent formalitates mutuò sese excludentes. Quo cessabunt difficultates, quæ emergunt ex inclusione relationum in essentia. Profususque eneruata manebunt omnia argumenta, quibus à Doctoribus, cum quibus agimus, & à nobis talis inclusio est impugnata proposit. 1. Quòd si argumenta illa verè sunt firma, vt censent penè omnes Theologi; certè, & quæ nos pro præsentè propositione contra inclusionem essentia in relationibus fecimus, firma item sunt iudicanda. Doctrina autem, qua quoad speciem vtraque videntur æquè eneruari, subdola, & veritate, vacua censenda est. Qualem esse quidem, satis, superque videtur à nobis in superioribus probatum.

Iam verò argumenta alterius classis, quibus speciatim probatur, per nostram rationem essentiam esse extra conceptus relationum iuxta præsentem propositionem; pariterque relationes extra conceptum essentia iuxta præcedentem, ex dictis à nobis in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 9. proposit. 1. & 3. petenda sunt. Ibi enim ostendimus relationes, & essentiam mutuò inter se

pra-

præcindi à nobis obiectivè; quinimò abque tali præcisione nequaquam posse nos pro statu præfenti credere, nedum intelligere, veritates, quæ circa mysterium Trinitatis tenemur credere. Mutua quippe præciso obiectiva essentia Dei, & relationum, de qua ibi tractavimus, & mutua eandem exclusio obiectiva, de qua modò in idem recidunt, vt notabamus supra.

102

Primum itaque pauci illi Theologi, qui mutuam inclusionem obiectivam admittunt inter essentiam, & relationes, eadem vi refutantur per omnia argumenta facta in dicta quæst. 9. proposit. 1. ac qui negant, essentiam, & relationes præcindi à nobis obiectivè, contra quos illa facta sunt. Quomodo enim apud non præscindentes essentiam à Paternitate, neque è conuersò hæc duæ propositiones vocales, *Paternitas distinguitur à Filio, Essentia distinguitur à Filio*, eandem omnino significant propositionem obiectivam; ita & apud non excludentes essentiam à Paternitate, neque è conuersò, quandoquidem sub conceptu essentia essentia simul, & Paternitas apprehenditur, & sub conceptu Paternitatis Paternitas item, & essentia, quidquid sit de modo apprehendendi explicito, aut implicito. Igitur, (quemadmodum loco citat. arguebamus), supposita dicta mutua inclusionem, utraque dicta propositio vocalis est vera, siquidem idem ipsum obiectum affirmant amba. Absurdum. Quia secunda est hæretica. Tum nemo potest assentiri priori, vt debet, quin assentiat posteriori; cui potius dissentiri tenetur. Et, cum posterior fide divina non possit credi, nec prior poterit. Homo etiam obligatus ad assentiendum priori, & dissentiendum posteriori ad impossibile quoddam est obligatus, quale est assentiri simul, & dissentire eidem obiecto. Aliaque huiusmodi sequuntur absurda, quæ latius prosequenti sumus loco citato. Igitur talis inclusio mutua Paternitatis, & essentia commentitia est. Recognosce, quæcunque diximus ibi contra non præscindentes, & contra hocce mutuò includentes applica.

103

Occurret tamen pro eis quispiam contendens, contra ipsorum doctrinam argumentum factum non militare. Quia hoc ipso, quod assentunt, Paternitatem dicentem explicitè proprietatem Patris, implicitè tamen dicere essentiam; & vice versà essentiam dicentem explicitè, quod est commune tribus personis, implicitè tamen dicere Paternitatem; consequenter poterunt affirmare, per Paternitatem directè significari proprietatem, & in obliquo essentiam; per essentiam verò è conuersò. Quo posito, propositionibus vocalibus supradictis, non vna, & eadem, sed duplex propositio obiectiva correspondebit, altera vera, altera falsa. Et cessat argumentum factum. Ceterum patrocinium hoc nihil omnino prodesse posse Theologis, quos nostro argumento impugnavimus, ita convinco, Aut id, quod Paternitas dicit directè, connotatà essentia in obliquo, includit insuper essentiam ipsam; aut secus. Si non includit. Ergo essentia non transcendit totum conceptum Paternitatis; quod valde alienum est à doctrinà dactorum Theologorum. Si includit, Ergo essentia prout in eo inclusa significatur etiam directè; & redit argumentum. Semperque redibit, quoties ad conceptum inadæquate directum recursus fiat; donec sistatur, vt necessarium est, in directo adæquate, de quo apprehenso ex parte subiecti iudi-

cer intellectus noster, quidquid de Paternitate, & non de essentia, iudicabile est. Retrogredi enim in infinitum manifestè est hic impossibile. Tum, admissio etiam infinito regressu, integra remanet difficultas, vt arguebam in simili num. 92. quia præter omnes omnino formalitates, (sint infinite, vel finite), siue præter totum omnino, quod dicit Pater indirectè, quod superest, non potest non esse conceptus adæquate directus, vt pater tum ex se, tum ex dictis in simili supra. Stat ergo firmum, Auctores, qui mutuam inclusionem admittunt inter essentiam, & relationes, per commemorata argumenta efficaciter confutati.

Per quæ etiam pariter confutandi veniunt, 104  
proportione servata, qui solam admittunt inclusionem essentia in relationibus. Apud eos enim his duabus propositionibus vocalibus, *Pater communicat Filio omnia, quæ habet, præter proprietatem paternam, Pater communicat Filio omnia, quæ habet, præter omnia, quæ habet*, eadem omnino responderet propositio obiectiva; quandoquidem proprietas Paterna omnia, quæ Pater habet, iuxta dictos Auctores inuoluit in conceptu suo obiectivo; sicque idem omnino excludit particula præter in utraque propositione, & reliqui ambarum termini prorsus sunt iidem. Quo posito, eadem resurgunt hic absurda, quæ indicabamus num. 102, & fufus intulimus contra non præscindentes in illa quæst. 9. Phari Scient. citata proposit. 1. quia prima etiam harum propositionum vocalium omnino est certa secundum fidem: Secunda verò non solum falsa, sed prorsus implicatoria interminis, & chymærica. Recolantur omnia argumenta ibi circa similes propositiones adductas in exemplum facta, & ad has pariter applicentur. Quibus inclusio non mutua essentia Dei in relationibus aequè, atque mutua, efficaciter refutata manebit.

Amba autem non minus efficaciter veniunt 105  
præterea confutanda per omnia argumenta tam philosophica, quam theologica, quibus in dicta quæst. 9. proposit. 3. & 4. vniuersaliter adduximus præcisiones obiectivas mutuas formalitatum ab intellectu nostro oriundas pro statu viæ, è quarum formalitatum numero sunt essentia Dei, & relationes. Quoniam, vt paulò ante notabam, & ex se patet, præciso obiectiva mutua formalitatum, & mutua exclusio obiectiva earundem in idem recidit. Adeat ergo lector quæstionem illam, & recolat dicta argumenta, & applicet ea ad præsens propositum; ne nos, eadem repetendo, actum agamus. Habet quippe copiosissimam argumentorum venam ad præsentem, atque etiam præcedentem propositionem comprobendam.

Quas insuper comprobant eæ omnia, quibus 106  
in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 10. & disput. 17. quæst. 20. ostendimus transcendentiam formalitatum per inclusionem omnino impossibilem esse, longèque alienam à nostro modo concipiendi. Huiusmodi enim inclusio essentia Dei in relationibus siue mutua, siue non mutua, de qua tractamus, transcendentia quædam formalitatum per inclusionem est, vt ponitur à suis Assertoribus: qui passim illam probant, & explicant per transcendentiam entis, supponentes, hanc fieri per inclusionem. Facient tandem pro hac, & præcedente propositione, quæ pro sequentibus adducemus.

Veniamus iam addiluenda, quæ contra 107  
pro-

propositionem nostram opponuntur ab Aduersarijs. Opponunt primo. S. Tho. 1. par. quæst. 33. art. 3. ad 1. dicentem. *Quoddam communi absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria: quia includuntur in intellectu priorum, sed non e converso.* Verum S. Tho. hoc in loco nihil contra nos habet: quia loquitur ex præse de proprijs concretè acceptis; quo pacto apud omnes est certum, includere illa in suo conceptu communi: subdit namque immediate pro exemplo. *in intellectu enim persona patris intelligitur Deus, sed non conuertitur.* Unde non licet inferre, in intellectu, siue in conceptu personalitatis Patris, aliamve proprietatem personalem in abstracto sumptarum, prout de eis agitur in controuersâ præsentî, includi Deitatem omnibus personis communi: Clarius uidetur pro nobis esse S. Tho. quæst. 8. de potent. artic. 2. ad 6. dum ait. *Paternitatem de essentia diuinâ non predicari propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei, nec essentiam de Paternitate.*

108

Secundò obijciunt. Ex communi modo loquendi Conciliorum, & Patrum constat, Deitatem abstractè sumptam verè prædicari de personis. Abstracta autem de concretis, aut de alijs abstractis non possunt prædicari verè, ut constat ex Logica, & Metaphysica. nisi unum quidditativè includatur in conceptu alterius; quantumuis sint inter se identificata realiter: ob id namque fere nullus est, qui admitat ut veram istam propositionem, *Rationalitas est animalitas*; etsi rationalitas, & animalitas in homine realiter sint idem. Ita Ruiz. disput. 13. citata sect. 1. num. 7. & seqq. Qui sanè in multis mihi, dum ista obijcit, peccare videtur. Primò: quia supponit ex Logica, & Metaphysica, abstracta de concretis, aut de alijs abstractis, cum quibus realiter sunt idem, verè non prædicari, à nulloque fere admitti ut veram illam propositionem, *Rationalitas est animalitas*: cum tamen oppositum videatur receptum communitè apud Logicos, & Metaphysicos: qui eiusmodi propositiones abstractorum veras esse pronuntiant in sensu reali, siue identico; tamen dicant, esse falsas in sensu formali. Secundò: quia exempla, quibus ex Concilijs, & Patribus Ruiz probat assumptum, non de relationibus in abstracto, sed de personis in concreto prædicant Deitatem, ad quarum prædicationum veritatem, etiam admissa ipsius doctrinâ, fat erit quod Deitas includatur in personis, ut verè includitur; licet in relationibus non includatur: de quo est controuersia. Tertio: quia si Patres de relationibus in abstracto prædicant aliquando Deitatem, etiam è contra de Deitate prædicant relationes, ut, cum dicunt, Deitas est Trinitas, aut, Deus est Trinitas. Ergo, si ad veritatem prædicationis requiritur inclusio prædicati in subiecto, tam est dicendum secundum Patres, relationes claudi in essentia, quam, essentiam in relationibus contra ipsum Ruiz. Quarto denique: quia, ut dicebamus ex communi, abstracta de abstractis verissime prædicantur in sensu identico tam indiuisis, quam increatis, quando realiter sunt idem, quidquid sit de sensu formali, ad quem ne inclusio quidem, quam adstrunt Aduersarij, est sufficiens, prout constat ex dictis à nobis in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & alibi.

109

Tertio obijciunt. Persona quidditativè claudit Deitatem. Sed proprietates personalis est per-

sona. Ergo proprietates personalis claudit Deitatem. Confirmatur: quia concretum in diuinis nihil amplius dicit formaliter, quam eius abstractum immediatum: ob id enim Patres dicunt communitè, in Deo non esse aliud, aliquid habere, quam illud esse. Ita Soar. lib. 2. de Trinit. cit. cap. 7. num. 6. Ruiz. supra sect. 1. num. 1. & seqq. & alij. Retorqueo in ipsos primò argumentum, conuersis terminis. Persona quidditativè claudit personalitatem. Sed Deitas est persona. Ergo Deitas quidditativè claudit personalitatem. Quod negant. Deinde confirmationem. Quia, si concretum in diuinis amplius non dicit, quam abstractum. Ergo Deitas æquè, ac Deus sumptus Theologicè, inuoluit in suo conceptu aliquam personalitatem. Quod etiam negant. Igitur ad argumentum, concessa maiore, distinguenda est minor. Proprietates personalis est persona identicè: concedendum; formaliter negandum; negando deinde consequentiam. Ad confirmationem, negandum est etiam, concretum in diuinis non dicere amplius, quam dicit abstractum, loquendo formaliter: dicit namque ut sic, præter formam, quam dicit abstractum, subiectum metaphysicum eius. De quo plura loco citato, sæpeque aliàs. Patres autem eo modo loquendi solùm intendunt, quidquid Deus habere dicitur, realiter, & identicè Deum ipsum esse; ut potè quorum scopus duntaxat est, adstruere realem Dei simplicitatem ab omni compositione reali, ab omni que accidenti realiter superaddito inimicem.

110

Quarto obijciunt. Quidquid est Deus, essentialiter est Deus. Sed personalitas est Deus. Ergo personalitas essentialiter est Deus. Consequentia est bona. Minor certa secundum fidem. Maiorem probant. Nam, quidquid est Deus, est summè perfectum: maioris autem perfectionis est includere Deitatem, quam secus; indignumque est perfectione Dei, quòd aliquid sit Deus, & non sit essentialiter Deus; eo quòd essentialitas pertinet ad perfectionem Dei. Tum quia ipsa denominatio Dei est maxime essentialis: cum desumatur à naturâ essentialiter constituente talem rem. Ita Soar. num. 7. & 8. Ruiz. num. 4. & alij. Hoc argumentum pariter videtur probare, relationes esse de essentia Deitatis; quidquid conentur hi Doctores discrimen reddere: quia, cum Deitas realiter sit Trinitas, ut etiam est certum, & essentialiter quoque talis esse debet; quo magis euadat perfecta claudens in se perfectionem personalitatum. Respondeo ergo, quidquid est Deus, Deum esse essentialiter physicè, seu identicè; non vero item metaphysicè, seu formaliter. Ad primam probationem dico pariter, quidquid est Deus, esse summè perfectum physicè absolute, & simpliciter: quia physicè est tota perfectio Dei; metaphysicè verò, & formaliter esse summè perfectum in suo genere; non verò in omni genere; prout fusè explicandum est infra disput. 16. In quo nihil indignitatis cernitur. Neque enim, essentialitas metaphysica est necessaria ad omnem perfectionem diuinam, sed solum physica. De quo etiam ibi. Ad secundam confirmationem respondeo, denominationem Dei esse quidem maxime essentialem; scilicet metaphysicè respectu eius solius conceptus, cuius essentia metaphysica est Deitas; physicè autem respectu cuiusvis perfectionis, quæ sibi identificat Deitatem.

111

Quinto obijciunt. Quod essentialiter est quid superius, siue commune, quidditativè clauditur

tur

tur in conceptu particularis. Sed ita se habet diuina essentia respectu relationum, etiam sumpturum in abstracto. Ergo quidam in illis includitur. Soar. num. 9. Ruiz num. 5. & 6. Respondeo, quod essentialiter est commune per abstractionem, includi in conceptu particularium, vt animal in homine & equo; non item, quod est commune per identitatem, qualiter solum est essentia diuina communis relationibus. Addo, essentiam diuinam iam includi in personis concretè acceptis, respectu quarum magis proprie est communis, est in relationibus in abstracto non includatur. Quemadmodum etiam, quod est commune per abstractionem, ita in suis inferioribus includitur, vt in eorum differentiis non includatur; idque, est sic illud, quid transcendens iuxta doctrinam de transcendendis iam indicatam.

112 Sexto obijciunt, De conceptu Paternitatis est, esse ens à se. Sed predicatum entis à se est proprium essentiae diuinae. Ergo de conceptu Paternitatis est essentia diuina. Soar. num. 9. & Ruiz num. 7. Nego minorem; quia predicatum entis à se transcendit omnes formalitates Dei; atque adeo non est proprium solius essentiae prout distincta ratione nostra à reliquis formalitatibus. Addo, est esset proprium essentiae, quatenus ratione essentiae alijs formalitatibus Dei conueniret, nihil argumentum factum praestare contra nos, qui opinamur, concretum entis non per inclusionem, sed per adhesionem metaphysicam dici formaliter de conceptibus, quibus conuenit, vt late in Pharo Scient. disput. 17. quest. 20. explicatum, atque probatum est. Quocirca dici formaliter de Paternitate potest, est essentia, cui modo dicto esse proprium, extra quidam conceptum Paternitatis esset.

113 Septimo obijciunt, Si essentia non includitur in relationibus, erit in Deo compositio secundum rationem. Sed dignior est Deo simplicitas ne compositioem quidem rationis admittens. Ergo, Retorqueo in obijcientes primo. Si inclusio non mutua relationum in essentia conferat ad Dei simplicitatem, magis conferat mutua. Talis ergo asserenda. Quam tamen negant. Retorqueo secundo. Inclusio essentiae in relationibus non obstat per vos, quo minus essentia, & relatio distinguantur per rationem. Ergo neque obstat, quominus componantur per rationem personam. Vbi enim est distinctio rationis eorum, ex quibus constat tertium, ibi quoque est compositio ipsius tertij per rationem. Persona autem tertium est constans ex relatione, & essentia, vt fatentur omnes. Deinde respondeo, compositioem per rationem nihilominus derogare perfectioni simplicitatis Dei; nec minus dignam ipsi Deo reddere illam, vt cum ipso Soar. Vazq. & alijs in Pharo disp. 13. quest. 8. statutum est.

114 Octavo tandem obijciunt, Si relatio non includit essentiam, non erit infinita in genere entis; siquidem non includit in se omnem perfectionem diuinam non oppositam sibi. At est infinita in genere entis. Ergo includit essentiam. Hoc argumentum, siquid probaret, probaret itidem, essentiam includere in se relationes. Quod negant obijcientes. Respondeo ergo, relationem à parte rei simpliciter esse infinitam eadem infinitate, qua Deus totus est infinitus; quia ad hoc sufficit, quod sit illa realiter idem cum Deo. Formaliter vero, & prout à nobis concipitur, esse infinitam in proprio genere; non vero in omni

genere; & consequenter in genere entis vt contracti ad proprium genus duntaxat. iuxta dicenda latius infra disput. 16. vbi de perfectione Dei. Mitto aliam obiectionem, quam ungit Ruiz num. 9. quia multa tangit pertinentia ad materiam de Trinitate, & parum ad rem praesentem adferri difficultatis.

### Propositio 3.

115 Essentia Dei in suo conceptu formaliter non includit attributa communia. Neque haec essentiam ipsam in suo. Aut inuicem se se.

Hanc propositionem probant, imprimis penè omnia argumenta facta pro prima, & secunda propositione. Probat deinde argumenta facta in Pharo scient. disp. 13. quest. 9. proposit. 3. & 4. pro praedictionibus obiectionis. Percurramus aliqua summam.

116 Etenim, si attributa Dei, & essentia mutuo sese includunt formaliter, sequitur primo, ea inter se per rationem non esse distincta, prout docent omnes Patres. Secundo sequitur, nomina attributorum significare essentiam, non vero, quae circa essentiam sunt; quinimo significata talium nominum diuersa non esse, atque adeo nomina ipsa prorsus esse synonyma. Quae omnia, expressè refragantur dictis sanctorum Patrum, iuxta dicta à nobis in quest. citata. Tertio sequitur, neutiquam posse cognosci à nobis vnum attributum sine alijs omnibus, & essentia; neque essentiam sine omnibus attributis. Quod manifestè aduersatur experientia certissima. Constat enim nos mente, & ore aliquod attributum versare, immemores prorsus reliquorum. Multi sunt, qui aliqua diuina attributa ignorant penitus, cognitis alijs, & essentia. Haereticus etiam aliqua diuina attributa, concessis reliquis cum essentia, abnegarunt. Quarto sequitur, iudicium nostrum circa essentiam, & attributa diuina iudicium compositioem aut diuisionis esse non posse; quod prorsus alienum est ab eius natura; debet enim, quò tale sit, diuidere vnum conceptum obiectiuum ab alio, aut vnum cum alio componere. Quod cum mutua talium conceptuum inclusione consistere non potest. Quinto sequitur contra omnes Theologos, has & similes propositiones veras esse in sensu formali, Deus intellectu uult, Deus uoluntate intelligit; si quidem, supposita dicta mutua inclusionem, intellectus formaliter est uoluntas, & uoluntas formaliter est intellectus. Sexto sequitur, receptam illum argumentandi modum ex data hypothese impossibili implicatorium esse in adiecto, atque adeo inuilem circa Deum, quotiescunque ex parte hypothese ponitur vna formalitas diuina, negata alia, aut è conuerso, vt fere semper fit: eadem enim formalitas semper affirmatiuè sub ea, in qua includitur, & simul negatiuè in se poneretur. Quod esset, ponere in hypothese siquid duo contradictoria formalia, & consequenter implicare in terminis ipsis. Septimo sequitur, neminem posse affirmare, vnum attributum non esse aliud à parte rei; & consequenter nec fuisse in hac parte vllum errorem; nec subsistere Scoticam opinionem. Quod quam sit à ueritate alienum, non o non uidet. Etenim, si sapientia Dei formaliter, & prout a nobis concipitur claudit in se iustitiam, impossibile est, quod asseret homo, uti omnes cui-

evidenter affirmant, sapientiam Dei ex natura rei esse sapientiam, quin simul affirmet, sapientiam Dei ex natura rei esse iustitiam. Ergo nemo est, qui simul hoc secundum possit negare: alias duobus simul contradictorijs assentiretur. Quod repugnat. Sufficiant hæc, quæ latius exposita inveniuntur in quæst. 9. citata, cum alijs quæ ad rem etiam possunt adduci.

117 Dicit aliquis pro Aduersarijs, (ipsi enim, tot argumenta contra se stare, non aduerterunt), in conceptu explicito essentia implicitè solum claudendi attributa, & in conceptibus explicitis singulorum attributorum implicitè tantum claudendi essentiam, & reliqua attributa; atque ita fieri, ut penes conceptus explicitos cuncta distinguantur ratione nostrâ perinde, ac si se se inuicem non clauderent. Quo cessant omnia incommoda illata. Sed contra primò: quia huiusmodi inclusio implicitius conceptus transcendentis in alio explicito, qualis ab Aduersarijs ponitur, manifestam repugnantiam inuoluit, ut ex dictis in præcedentibus constat. Tum quia, præter omne implicitum inclusum in conceptu explicito, quod superest explicitum, nihil implicitum potest amplius includere, quo abrumptur filius transcendentia, quæ ponebatur; daturque subinde in Deo formalitas nihil inuoluens in suo conceptu reliquarum contra doctrinam suppositionem. Tum quia conceptus explicitus nec potest esse idem cum implicito; quia fieret, ut idem conceptus cognosceretur, & simul non cognosceretur explicitè: nec potest claudere in se implicitum; quia fieret, ut totum clarè cognosceretur, non cognitis partibus clarè. Quod utrumque repugnat.

118 Contra secundò: quia etiam admissa possibilitate dictæ inclusionis, non dari tamen illam de facto in perfectionibus diuinis, uti prætendunt Aduersarij, spectato modo ordinario, quem concipiendi illas habemus, experientia à nobis commemorata: videntur demonstrare. Nam, qui, cognita sapientia Dei v. g. eius immensitatem ignorat penitus, aut etiam negat, nequaquam dici potest cognoscere implicitè immensitatem in sapientia cognita explicitè. Tum quia iam non ignoraret penitus immensitatem, ut ponimus ex manifesta experientia; cum aliqualem eius notitiam, saltem implicitam, siue obscuram, haberet. Tum quia simul affirmaret, & negaret, esse Deum immensum; quod est impossibile: affirmaret namque implicitè, dum affirmat, Deum esse sapientem, & negaret explicitè. Tum quia, semel iudicata sapientia explicitè, per discursum potest induci ad iudicandum etiam explicitè immensitatem; quod etiam experientia aduersatur. Tum denique quia non aliter in casu posito cognoscit homo sapientiam Dei, nec plus scit de immensitate, quam si Deus reuera immensus non esset; atque ita Deus in mente eius obiectiuè sapiens dumtaxat, nullatenus obiectiuo, quem homo format de Dei sapientia, nullatenus immensitatem includi. Similiter, qui affirmat, sapientiam Dei esse sapientiam, implicitè affirmaret, sapientiam Dei esse immensitatem, atque adeò negare non posset, ut negant Scotistæ, sapientiam Dei esse formaliter immensitatem, nisi idem simul affirmando, & negando; quod repugnat. Istæ etiam propositiones, *Deus sapientia est ubique, Immensitate intelligit, in quantum æternus operatur*, & alia similes in sensu formali essent veræ. Aliaque absurda commemorata nihilominus sequerentur. Ne ergo sequantur, dicendum omnino est, conceptus diuersos, quos nos formamus de perfectionibus diuinis, nequaquam se ipsos inuicem claudere.

119 Id quod præterea non parùm efficaciter comprobatur: quia perfectiones diuinæ eodem modo concipiuntur, ac distinguuntur per intellectum nostrum, atque perfectiones creatæ: quia modus connaturalis, quem ille habet cognoscendi pro hoc statu, non immutatur, quòd obiecta, circa quæ versatur, diuersa sint, ut satis superque vel experientia ipsa est notissimum. Sed conceptus, quos nos formamus de perfectionibus creatis realiter identificatis, formaliter se se inuicem non includunt, ut constentur Aduersarij. Igitur idem dicendum est de conceptibus, quos formamus de perfectionibus diuinis. Confirmatur primò. Ideò animalitas Petri non claudit in suo conceptu formaliter rationalitatem; quia animalitas Petri cognoscibilis à nobis est, rationalitate prorsus ignota. Sed etiam sapientia Dei cognoscibilis à nobis est, ignota prorsus immensitate. Ergo hæc in illa non includitur. Confirmatur secundò. Ideò etiam in meis principijs stabilitis in Pharo Scient. tum quæst. 9. citata, tum maximè disput. 2. quæst. 3. rationalitas Petri non clauditur in animalitate, nec vice versa; quia rationalitas, & animalitas Petri cognoscuntur à nobis per phantasmata substituta adæquatè inter se distincta, & nullo modo se includentia. Sed sapientia, & immensitas Dei cognoscuntur etiam à nobis per phantasmata substituta adæquatè inter se distincta, & nullo modo se includentia. Ergo pariter nec sapientia Dei claudit immensitatem, nec vice versa. Confirmatur tertio. Quia formalitates creatæ id circo non se mutuo includunt formaliter; quia perinde apparent nobis, repræsentanturque obiectiuè, ac si realiter distinctæ essent. Constat autem eorum conceptuum obiectiuorum, quæ realiter distinguuntur, alterum in altero non posse mutuo includi formaliter. Sed eodem modo repræsentantur nobis, apparentque formalitates diuinæ. Ergo nec illæ se includunt formaliter.

Vltetius probari potest propositio. Quia, 120 conceptus communis sapientia abstrahens ab increata, & creatâ nequaquam includit in se immensitatem; alioquin sapientia creatâ, cui conuenit conceptus ille communis, formaliter esset immensitas; quod est chymæricum. Igitur nec conceptus sapientia diuinæ includit in se immensitatem, aut saltem immensitas non transcendit per inclusionem sapientiam diuinam quoad omnia sua prædicata; quo corrumpitur Aduersariorum doctrina; quandoquidem non includitur in conceptu sapientia diuinæ ut sic reperto in sapientia diuinæ. Quòd autem detur conceptus communis sapientia creatæ, & increatæ, prout hoc argumentum supponit, sicut & plurium aliorum prædicatorum, quæ de Deo simul, ac de creaturis dicuntur, plerique Auctorum, contra quos nunc agimus, tenent; & nos ostendemus inferius disput. 11.

Denique probatur propositio. Quia mutua inclusio physica eorum, quæ inuicem distinguuntur realiter, impossibilis est; ut est impossibile, quod aliquid sit simul pars, & totum comparatione eiusdem. Ergo mutua inclusio intentionalis, seu obiectiua formalitatum Dei, qualis ab Aduersarijs ponitur, etiam est impossibilis. Probatum consequentia; quia formalitates diuinæ eodem pacto repræsentantur nobis, apparentque, ut nuper dicebam, ac si reuera essent distinctæ; quia per substituta reuera inter se distincta repræsentantur. Ergo, sicut distinctæ in se reuera nequaquam possent se mutuo includere,

ita nec possunt distinctæ in mente nostra obiectiue. Dices, per hoc solum probari, non posse formalitates Dei inuicem se includere explicitè; secus, non posse implicitè. Sed contra: quia, vel per cognitionem explicitam de sapientia cognoscitur aliquo modo immensitas in sapientia inclusa, simulque per cognitionem de immensitate sapientia inclusa in immensitate; vel nullo modo cognoscitur. Si hoc secundum. Ergo sapientia, & immensitas nullo modo se includunt inuicem formaliter, siue, quod in idem recidit, prout sunt obiectiue in mente nostra: quia includi inuicem obiectiue formalitates, nihil est aliud, quàm representari nobis, & apparere inclusas inuicem; sicut, distingui obiectiue per nostram rationem, aliud non est, quam representari distinctas, vt constat. Si autem dicatur primum, cognosci videlicet, & apparere nobis, licet obscure, inclusas inuicem sapientiam, & immensitatem. Ergo representatur nobis, apparetque idem comparatione eiusdem totum, & pars. Quod, probat argumentum factum, esse impossibile. Et confirmari potest ex nostris principijs apertè: quia phantasmata sensibilia, per quæ vt substituta cognoscimus formalitates diuinas, vt sunt in se, sunt etiam obiectiue in mente; eo quod per species proprias representantur. Sed in se neutquam possunt mutuo se includere. Ergo neque in mente nostra obiectiue. Ergo idem dicendum de formalitatibus Dei, quæ in illis apparent, neque aliter vllatenus possunt, quàm illa, apparere.

122

Postremo probatur propositio. Quia negari nequit, posse intellectum nostrum ita præscindere formalitates diuinas, vt vna non includatur formaliter in conceptu obiectiuo alterius; quandoquidem ita præscindit formalitates creatas, vt fatentur Aduersarij. Ergo de facto tenendum est ita illas præscindere. Probatur consequentia primò: quia fundamenta connaturalia, quæ inducunt intellectum nostrum ad præscindendam in Deo sapientiam à iustitia, non aliter inducunt, quàm ipsum mouendo, vt concipiat sapientiam, non conceptà per eandem cognitionem iustitiæ. Ergo ex vi connaturalium fundamentorum intellectus noster sapientiam cognoscit per cognitionem non attingentem vllò modo iustitiæ. Repugnat autem, vt sapientia, concepta per cognitionem non tangentem iustitiæ includat in conceptu suo iustitiæ ipsam; siquidem, includi aliquid in aliquo conceptu obiectiuo, nihil est aliud, quàm representari ibi inclusum, atque adeò cognosci simul cum tali conceptu obiectiuo. Secundò probatur: quia eiusdem rationis sunt fundamenta, eodemque modo inducunt noster intellectus ad distinguendas in Deo plures formalitates, ac ad distinguendas in creaturis. Sed in creaturis ita distinguimus, vt vna formalitas in altera non includatur. Ergo in Deo itidem. Sufficiant hæc. Pergoque ad diluenda ea, quæ nobis opponunt Aduersarij.

123

Primò Soar. lib. 1. de Attributis citato cap. 11. 12. & 13. & Granad. contron. 1. citatà tract. 2. disput. 7. obijciunt nobis S. Thom. August. Anselm. Greg. Cyrill. Theodo. Isidor. Bernar. & alios Patres asserentes, de Deo non dici nomina attributorum, siue attributa accidentaliter, sed essentialiter, seu substantialiter. Aut, in Deo non esse aliud attributum, aliud essentia. Aut, quoduis eorum, quæ Deo conueniunt idem esse, atque omnia simul. Aut, non esse aliud Deum, & aliud, quod in ipso est. Aut, Deum non

aliunde esse bonum, quàm, vnde est magnus, sapiens, iustus, &c. neque aliunde esse hac omnia, quàm, vnde est Deus. Aut denique aliquid aliud huiusmodi. Verùm per huiusmodi locutiones diuinitat intendere sanctos Patres adstruere realem Dei simplicitatem, realemque identitatem, & vnitatem eorum omnium, quæ à nobis apprehenduntur distincta; neque in eorum mentem venisse formalem conceptuum inclusivem, de qua modo tractamus, plane comperiet, qui legerit ipsorum scripta. Quorum profectò scopus ab ista metaphysicâ subtilitate omnino est alienus, vt singula inspicienti innotescet. In quo modo non oportet norari.

Secundò obijciunt. Essentia Dei est summè perfecta, atque adeò perfectissima omnium, quæ excogitari possunt. Ergo includit in suo conceptu omnia attributa. Alias non erit ex suo conceptu summè perfecta: quia magis perfectus est conceptus essentia includens attributa, quàm non includens, vt ex se patet. Confirmatur. Quia essentia non includens in suo conceptu totam perfectionem, quam re ipsa habet essentia Dei, non est vera essentia Dei, sed ficta. Sed essentia Dei re ipsa habet omnem perfectionem attributorum. Ergo nisi concipiatur in se includens totam perfectionem attributorum, non vera essentia Dei concipietur, sed ficta. Nequit igitur vera essentia Dei non includere in suo conceptu omnia attributa. Idemque argumentum, seruata proportione, fit ad probandum & essentiam in singulis attributis, & ipsa attributa in se inuicem claudi. Cæterum hoc argumentum, prout iam notauimus num. 110. etiam probat relationes diuinas debere includi in essentia, & in singulis attributis; quod tamen negant Aduersarij: quia vt à parte rei essentia, & attributa magis perfecta sunt cum relationibus, quàm essent sine illis, ita & in suo conceptu formali magis perfecta erunt, si eas inuoluant, quàm si secus. Confirmatio, si quid etiam probat, probat utique, formalitates creatas sese inuicem claudere: quod tamen Aduersarij etiam negant: quia animalitas verbi gratia non includens in suo conceptu totam perfectionem, quam re ipsa habet in Petro, non erit vera animalitas Petri, sed ficta. Sed animalitas Petri re ipsa habet perfectionem rationalitatis. Ergo nisi concipiatur illam includens, fictitia erit. Quinimo dicta confirmatio, si quid probat, absolute tollit e medio omnem distinctionem formalitatum eiusdem entis: quia, cum hæc à parte rei sint prorsus vnum quid, & idem; hoc ipso quod concipiuntur distincta, quantumuis inuicem in se inclusa, non veri, sed fictitij erunt tales conceptus.

Respondeo ergo ad argumentum, essentiam Dei re ipsa summè perfectam esse simpliciter; quia re ipsa prorsus est idem cum tota perfectione Dei; formaliter verò, prout à nobis concipitur ab attributis condistincta, summè perfectam esse intra suum genus, adeò, vt intra illud non sit alia perfectior excogitabilis: ad id tamen non est necesse, quod includat in se formaliter perfectiones attributorum, vt potè quæ ad alia pertinent genera; neque intra genus essentia veniunt considerandæ, vt pluribus explicio infra disp. 16. Tantumdemque de singulis attributis dicendum esto. Ad confirmationem ex doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 9. sæpe citatâ constat, quo pacto essentia Dei ab attributis præcisâ, neque illa in suo conceptu includens sit

nihil.

nihilominus vera essentia Dei. Recognoscatur illa doctrina, & huc applicetur, ubi non est peculiaris difficultas, quæ in alijs quibusvis formalitatibus præcisæ per rationem & nihilominus veris non reperitur, ut nuper notabam.

126 Tertio applicat ad rem Soan. argumentum, quo D. Bernard. serm. 80. in Caut. contra Gilbertum usus est, prout vidimus in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 4. num. 76. Si enim, inquit, sapientia, & essentia Dei ita distinguuntur, ut vna non includatur in conceptu alterius, neque è conuerso; interrogo; an sapientia sit æqualis essentia; vel maior; vel minor. Si minor, non est increata, sed creatura. Maior esse non potest, ut constat. Si autem est æqualis, necesse est ut includat totam perfectionem essentia. Respondeo, hoc argumentum efficax esse ad probandum, sapientiam Dei non esse realiter distinctam ab essentia, quo sine iure optimo usurpatum est à Bernardo contra Gilbertum. Supposita tamen solâ distinctione rationis inter essentiam & sapientiam, nihil præstat contra nos; siue dicamus, sapientiam æqualem esse essentia propter identitatem realem, quam habet cum illâ; siue dicamus, ex suo genere esse in æqualem prout ab illa per rationem nostram præcisam; quia neque ex primo sequitur inclusio formalis essentia in sapientia, ut patet; neque ex secundo sequitur, quod sapientia sit creatura; eo quod etiam prout præcisâ ab essentia est ens à se propter transcendentiam huius prædicati iuxta dicta supra quæst. 4. de transcendentibus. Alia argumenta, quæ huc etiam applicant Aduersarij, circa primam, & secundam propositionem sunt iam proposita, & soluta.

127 Et hæc de attributis diuinis abstractè sumptis, ut sicque tum inter se, tum cum essentia comparatis. Videndum super est, quid ad propositum de illis sumptis concretè dicendum sit.

Propositio 4.

128 **Attributa diuina sumpta concretè implicitè claudunt in suo conceptu essentiam Dei. Quædam etiam eorum interdum clauduntur in alijs implicitè.**

Prior pars propositionis ostenditur. Quia attributa diuina sumpta concretè, concreta quædam sunt coalescentia ex subiecto cunctis communi, & ex proprijs singulorum actibus, siue formis iuxta doctrinam vniuersalem concretorum traditam in Pharo Scient. disp. 2. quæst. 4. & disp. 8. quæst. 2. & 3. Subiectum autem commune formarum, siue actuum attributorum Dei ipsa est essentia Dei. Eaque aut metaphysica, si sint actus metaphysici, hoc est, metaphysicè tantum, seu per rationem nostram ipsi subiecto superadditi, iuxta dicta supra disp. 1. quæst. 10. aut physica, si sint actus physici, id est, physicè superadditi ipsi subiecto, iuxta doctrinam vniuersalem de rerum essentia, & attributis, siue accidentibus tum ibidem suppositam, tum ex professò datam in Pharo disp. 9. quæst. 1. & 2. atque etiam disp. 17. quæst. 7. & seqq. Quæ ad rem re cognoscenda est. Itaque hæc attributa in concreto, sapiens, omnipotens, bonus, sanctus, & similia implicitè claudunt essentiam metaphysicam Dei, vnum videlicet subiectum, cui sapientia, omnipotentia, bonitas, sanctitas, &c. tanquam quidam actus, seu formæ ipsi ratione tantum nostrâ, atque adeo

metaphysicè superaddita attribuantur. Hæc vero, creator, gubernator, prouisor, dominus, & alia huiusmodi implicitè claudunt totam Dei entitatem, essentiam ve physicam eius ut vnum subiectum, cui creatio, gubernatio, protidentia, dominium &c. tanquam actus, seu formæ extrinsecæ ipsi realiter, atque adeo physicè superaddita attribuantur. Quomodo autem cuiuslibet vtrorumque concretorum actus, seu forma explicitè, subiectum autem implicitè. Quomodo item ordinariè subiectum directè, seu in recto, actus vero, seu forma indirectè seu in obliquo concipiuntur, & significantur à nobis; tanetsi vtrumque directè, seu in recto possit, interdumque soleat significari, & concipi, in Pharo disp. 2. quæst. 4. citatâ explicatum est.

Posterior autem pars propositionis inde probatur; quia interdum de concreto ex essentia Dei & ex aliquo, aut aliquibus actibus, siue formis attributibus alia attributa prædicantur etiam concretè sumpta. Quo casu primum concretum implicitè inuoluitur in secundo. Sic cum dicimus *Omnipotens est æternus*, concretum æternus pro substrato habet implicitè in se inclusum concretum *omnipotens*; & in cæteris pariter. Interdum item attributa transcendentia concretè accepta de alijs etiam abstractè sumptis dicuntur formaliter, ut *omnipotentia est æterna; sapientia est bona; iustitia est infinita &c.* Quo casu in talibus concretis talia abstracta inciuduntur implicitè. Quæ omnia ex doctrina de abstractis, & concretis tradita locis citatis sunt manifesta; nec amplius in eis oportet morari.

QVÆSTIO VII.

*Virum Attributorum Dei aliqua sint inter se similia, & eiusdem speciei. Aliqua autem dissimilia, & diuersa speciei.*

130 **Q**uid sit, & qualis similitudo, atque etiam dissimilitudo entium, in Pharo Scient. exposuimus disp. 16. Cuius proinde doctrinâ integrè hic supponenda est, & recolenda. Notando interim ex ibi dictis, ea extrema dici absolute, & simpliciter esse eiusdem speciei, quæ exactè sunt inter se similia; ea vero diuersæ speciei, quæ inter se dissimilia sunt. Circa quod etiam sunt supponenda, & recolenda plura dicta in eadem Pharo disp. 17. quæst. 8.

131 Deinde suppono, quætionem esse de attributis diuinis consideratis, & comparatis inter se tum quoad conceptus formales, quos sortiuntur in conceptione nostrâ obiectiue, tum quoad conceptus reales, siue fundamentales; quos habent in se à parte rei.

Propositio 1.

132 **Attributa intrinseca Deo, quæ nullam à parte rei inter se distinctionem habent, à parte rei inter se dissimilia non sunt.**

Quia à parte rei sunt prorsus idem. Idem autem sibi ipsi dissimile esse non potest, ut satis ex se est notum, à nobisque in Pharo disp. 16. citatâ quæst. 3. proposit. 14. statutum. Loquor autem

in propositione de attributis intrinsicis Deo nullam à parte rei habentibus inter se distinctionem. Quia, quæ inter se à parte rei distinguuntur realiter, vt Paternitas, & Filiatio, Spiratio actiua & passiuæ, dissimilia sunt inter se, vt satis, superque ex ipsis terminis est notum. Vtrum autem formalitates diuinæ distinctæ à parte rei virtualiter in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria iuxta superius dicta quæst. 2. aliquo modo à parte rei sint dissimiles inter se, difficultatem habet examinandam, & resoluendam in tract. de Trinit.

133 Ex ista autem propositione inferitur, attributa diuina, de quibus in eâ sermo est, eatenus à parte rei dici posse similia, quatenus idem sibi ipsi quodammodo dici potest simile iuxta ea, quæ dicebamus in illâ propos. 14. citatâ.

### Propositio 2.

134 Pleraque attributa intrinsicæ Deo eorum, quæ concipiuntur inter se distincta, de facto, dissimilia sunt inter se quoad suos conceptus formales. Non nulla verò concipiuntur similia, & multo plura possent concipi.

Prior pars propositionis ostenditur, Quia bonitas, intellectus, voluntas, sapientia, pulchritudo, perfectio, & cætera fere omnia attributa intrinsicæ, quæ in Deo de facto concipiuntur, manifestè sunt dissimilia quoad suos conceptus formales, quos à conceptione nostrâ fortiuntur, vt ex ipsis terminis patet: atque dissimilitudo nominum, quibus illa significantur, satis ostendit; dissimilia enim nomina non synonyma, (qualia citra omne dubium sunt prædicta nomina attributorum); ad significandos conceptus obiectiuos dissimiles imponuntur, vt apud omnes est in confesso. Et quidem, cum perfectiones creaturarum, quas ad Deum transferimus, dum eiusmodi attributa intrinsicæ ipsi tribuimus, plerumque sint dissimiles inter se, consequens est, vt illas etiam in Deo dissimiles inter se concipiamus. Tamen in Deo ob realem identitatem, quam habent, dissimiles re ipsâ non sint.

135 Posterior autem pars propositionis inde probatur. Quia actus scientiæ & amoris, quibus Deus eodem modo cognoscit, & amat obiecta similia inter se, & inter attributa intrinsicæ Deo computandi veniunt, prout exponemus in trac. de Scient. & Volunt. distincti inter se, & prorsus similes solent à nobis concipi. Tamen sæpius sub vno veluti vniuersali conceptu scientiæ, sive sapientiæ, aut amoris Dei comprehendantur. Et quamuis intellectus diuinus tanquam vnica, & indiuisa facultas intelligendi soleat à nobis concipi, nihil vetat, tot in eâ formalitates, seu potentias ad intelligendum distinguere à nobis per rationem, quot sunt obiecta intelligibilia, quotque subinde distinguuntur à nobis actus intelligendi singula. Quarum formalitatum, seu potentiarum illæ omnes saltem inter se erunt, ex proprijs conceptibus similes, quæ fuerint ad actus inter se similes. Pariterque in voluntate possunt à nobis distinguere potentia ad amandum sigillatim singula obiecta amabilia. Et vniuersim, quo fundamento ad Deum transferimus, diuersasque in ipso concipimus perfectiones, quas in creaturis videmus diuersas, eodem perfectiones creaturarum,

solo numero differentes, atque ita inter se similes possumus citra dubium ad Deum transferre, in ipsoque numerice solùm distinctas, atque adeo inter se similes concipere. Quæ omnes attributa erunt Deo intrinsicæ ex suis conceptibus similia. Tamen ordinariè tam minutè non solemus procedere. Per quæ manet probata integrè posterior pars propositionis.

### Propositio 3.

136 Multa attributa semiextrinsecæ Deo à parte rei sunt dissimilia quoad suos conceptus reales. Et multa etiam à parte rei quoad tales conceptus similia sunt.

Est clarum. Quia extrinsecæ, quibus complentur, siue quæ inuolunt in suo conceptu reali ista attributa sepe inter se dissimilia, diuersaque specificè sunt, saltem ex parte. Quod satis est, vt aggregata ex illis, & ex diuina entitate coalescentia, in quibus reales conceptus eorum consistunt, dissimilia sint inter se, vt ex se constat, & ex dictis disp. 16. citatâ quæst. 3. sæpe etiam eiusmodi extrinsecæ adæquatè sunt inter se similia; quia omnia sunt numerice solùm differentia. Quibus in casibus aggregata ex illis, & entitate Dei resultantia similia sunt, vt ex se etiam, & ex dictis loco citato est notum. Sic prædicata, quibus Deus dicitur potens producere sigillatim creaturas, aut aggregata creaturarum dissimilia inter se, dissimilia sunt inter se realiter; similia verò ea, quibus dicitur potens producere sigillatim creaturas, aut aggregata creaturarum similia inter se. Sic etiam inæqualitates, quibus Deus dicitur inæqualis singulis creaturis dissimilibus inter se, à parte rei dissimiles sunt, similes verò inæqualitates, quibus dicitur inæqualis singulis creaturis similibus, & solo numero differentibus. Et in cæteris pariter.

### Propositio 4.

137 Pleraque attributa semiextrinsecæ Deo eorum, quæ de facto ipsi attribuimus, dissimilia sunt inter se quoad suos conceptus formales; & nonnulla similia. Quæ verò possumus ei tribuere tam secundi, quam primi generis innumera sunt.

Prima propositionis pars inde constat. Quia plerumque sub conceptu specifico comprehensa, solemus attribuere Deo de facto omnia attributa semiextrinsecæ solo numero differentia. Nonnumquam tamen aliqua horum attribuimus sub proprijs singulorum individualibus conceptibus. Quo fit, vt pleraque eorum, quæ de facto attribuimus, specificè differentia, atque adeo dissimilia sint inter se. Nonnulla verò solùm numerice, atque adeo similia.

138 Secunda autem pars propositionis inde constat. Quia ex attributis semiextrinsecis Deo tot saltem possunt in conceptione nostrâ euadere dissimilia quoad suos conceptus formales, quot sunt à parte rei dissimilia quoad suos conceptus reales. Et tot pariter similia quoad illos, quot quoad hos sunt similia: (tamen in super infra vtrumque genus eidem conceptui reali plures formales inter se dissimiles possunt correspondere, vt ex se, & ex dictis hæcenus satis est notum).  
Cer-



Certum est autem, tam similia, quam dissimilia quoad suos conceptus reales innumera esse. Imo esse infinita, ex dicendis quæstione sequente apparet.

Propositio 5.

139 Quæ de attributis semiextrinsecis Deo dicta sunt propositione 3. & 4. eodem pacto locum habent in attributis ipsi extrinsecis.

Quia certum est, satisque ex hæcenus dictis cuilibet notum, attributorum extrinsecorum Deo multa dissimilia inter se, & multa similia esse à parte rei quoad suos conceptus reales. Multaque pariter subinde dissimilia, & multa similia euadere in mente nostra obiectiue quoad suos conceptus formales.

140 Ex quibus omnibus colligitur, attributorum Dei in vniuersum multa esse specie diuersa, & multa eiusdem speciei quoad suos conceptus formales; quia perinde est esse dissimilia, ac esse diuersæ speciei, & esse similia, ac esse eiusdem. Quoad conceptus verò reales ex semiextrinsecis & extrinsecis multa pariter sunt diuersa, & multa eiusdem speciei ob eandem rationem. Intrinseca verò, cum sint quoad tales conceptus penitus idem, quæcunque nullam à parte rei distinctionem habent, neque specificè, neque numericè sunt diuersa, vt constat. Circa quod nihilominus vniuersalis doctrina tradita in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 8. videnda est.

141 Verum enim verò, quamquam omnia dicta in omnibus præcedentibus propositionibus ita sint; quia tamen in scientijs de indiuiduis quatenus talibus fere non solet ratio haberi, quoties de distinctione, aut diuersitate, aut multitudine attributorum Dei, aut de quavis omnino eorum, comparatione sermo sit in Theologia, nullatenus agitur (nisi id apertè exprimat) de attributis Dei solùm numericè, atque adeò indiuidualiter differentibus, subindeque inter se similibus; sed tantùm de differentibus specificè, atque adeò dissimilibus inter se. Quod notatum hic esto pro omnibus quæstionibus, vbi de attributis diuinis quatenus multis sermo fuerit.

QVÆSTIO VIII.

*Virum Attributa diuina sint multitudine infinita. Aut certo aliquo numero comprehensa.*

142 Sermo est in hac quæst. dumtaxat, sicut & in sequente, & alijs eiusmodi iuxta notationem factam num. præced. de multitudine attributorum inter se dissimilium, atque adeo specificè differentium. Quæ quidem esse multitudine infinita, censuerunt aliqui apud Recupit. lib. 3. de Deo quæst. 13. Quibus, loquendo de infinitudine syncategorimatica, consentit Quiros disput. 18. de Deo, sect. 5. Ceterum non esse actu infinita, docent iidem Recupit. & Quiros ibidem cum Soar. lib. 2. de attributis cap. 22. num. 15. Vazq. 1. par. disput. 10. num. 28. Granad. disput. 9. num. 3. & Smising. tract. 2. de Deo vno disput. 1. num. 9.

Propositio 1.

Attributa Dei prorsus intrinseca (si 143 Trinitatem personarum excipias) vnum, quid sunt à parte rei; non plura, nedum infinita.

Ita sentiunt omnes relati Auctores, Et constat ex doctrina statuta quæst. 2. Quia attributa Dei prorsus intrinseca (si tres personalitates mysterij Trinitatis excipias) nullam inter se à parte rei distinctionem habent iuxta ibi dicta. Absque distinctione autem attributorum reali pluralitas realis eorum, nedum infinitas multitudinis, nequiquam stare potest, vt est notissimum.

Propositio 2.

Attributa Dei prorsus intrinseca ne 144 per rationem quidem sunt plura respectu eorum, qui illa cognoscunt intuitiue.

Quia, vt dictum est quæst. 2. proposit. 14. à cognoscentibus Deum intuitiue ne per rationem quidem distinguuntur attributa eius identificata realiter; atque adeò illis, non plura vllò modo, sed vnum penitus apparent.

Propositio 3.

Attributa Dei prorsus intrinseca per 145 nostram rationem multa sunt inter se distincta, dum multa inter se distincta concipiuntur à nobis. Actu tamen, categorematicè que infinita adhuc per nostram rationem esse non possunt.

Prior pars propositionis ex dictis quæst. 2. proposit. 7. & sequentibus constat. Ibi enim statimus, attributa Dei tum ab essentiâ, tum inter se per nostram rationem distingui, atque etiam obiectiue præcindi, & consequenter in multa diuidi. Quæ quidem eò plura, aut pauciora erunt, quò in plures formalitates, siue metaphysicas partes entitas Dei per rationem nostram præcisa, siue diuisa à nobis aut simul, aut successiue concepta fuerit. In quo numerus determinatus signari non potest: quidquid contendat Granad. supra omnia attributa Dei ad viginti reducere. Quia, factâ quavis præcisione formalitatum Dei, alia, & alia sine fine effici possunt ab intellectu nostro: suppositoque quouis formalitatum numero, alia, & alia possunt illis adiungi iuxta dicenda proposit. 4.

146 Posterior autem pars præsentis propositionis inde monstratur. Quia intellectus noster nec simul, nec successiue potest infinitas Dei formalitates distinctas inter se concipere, prout opus erat, vt attributa Dei distincta à nobis per rationem, essent actu infinita. Non simul: quia intellectus noster non potest concipere plura obiecta distinctè vt plura, nisi per plures, per totidemque cognitiones, vt ostensum est in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 2. conclus. 2. & nequit simul connaturaliter multas cognitiones, nedum infinitas habere, sed aliquas paucas dumtaxat, vt experientia constat. Non successiue: quia multitudo actu infinita successiue pertransiri non potest, & quæcunque successiue percurruntur, semper constituunt

tuunt numerum actū finitum. Ut est notissimum, attributa igitur Dei ipsi per se sunt intrinseca per nostram rationem distincta, & plura, & plura ut sic possunt esse; actu tamen categorématiqueque infinita esse non possunt. Quod erat ostendendum.

## Propositio 4.

147 **Attributa Dei prorsus intrinseca; & per rationem nostram distincta eatenus sunt in potentia; syncategorematicèque infinita; quatenus, concepto à nobis quouis eorum numero, alius maior, & alius maior absque vlllo limite successiuè concipi potest.**

Probat, Quia triplex est fundamentum, ex parte rerum ad distinguenda in Deo per nostram rationem diuersa attributa, siue diuersas formalitates, vt constat ex doctrinā traditā supra disput. 1. quæst. 3. Primum diuersitas perfectionum in creaturis repertarum, quas ab omni labe imperfectionis depuratas distincte, & sigillatim in Deum transferimus: quo pacto dicimus, Deum esse bonum, intellectiuum, volitiuum, fidelem, iustum, misericordem, veracem, &c. Secundum diuersitas imperfectionum in creaturis repertarum, quas distincte etiam, & sigillatim remouemus à Deo; vt quando asserimus, esse eum immortalem, impassibilem, impeccabilem, incomprehensibilem, &c. Tertium diuersitas connotatorum, ad quæ Deum possumus, atque solemus distincte pariter, & sigillatim comparare, vel tanquam causam ad effectus, vel tanquam intelligentem, aut amantem ad obiecta intellecta, aut amata, vel tanquam dominum ad res subditas, &c. Cum ergo entia diuersa possibilis, atque etiam impossibilia sint infinita, vt ostendimus disput. 13. proindeque tum perfectiones; tum imperfectiones diuersæ in eis reperienda; tum connotata, ad quæ Deus potest diuersimodè comparari, infinita sint; infinita vtiq; diuersæ formalitates in eis omnibus fundatæ sunt distinguibiles à nobis successu temporis in Deo aut per modum perfectionum similium perfectionibus, aut per modum conceptuum remouentium imperfectiones eiusmodi infinitorum entium, aut per modum aliorum respectuum aliter terminatorum ad ipsa tanquam ad connotata. Quo fit, vt, concepto à nobis in Deo quolibet numero formalitatum per nostram rationem distinctarum, atque aded attributorum ipsi prorsus intrinsecorum, alius maior, & alius maior absque limite concipi possit, vt nostra propositio fert, cum fundamento in ipsis rebus. Quod ipsum est, attributa Dei prorsus intrinseca, & per rationem nostram distincta potentia, & syncategorematicè infinita esse.

148 **Etenim, quanquam multa prædicata Dei in ipsis rebus modis dictis fundata per aliquid Deo extrinsecum compleantur in suo adæquato conceptu, plerunque tamen illud Dei intrinsecum, quod vnumquodque eorum includit in se, formalitas est per rationem nostram distincta à Dei intrinseco inclusio in alijs. Quæ proinde formalitates præcisè sumptæ attributa Dei prorsus intrinseca distincta inter se per nostram rationem dici possunt, cum cæterisque merè intrinsecis connumeranda veniunt. Verbi gratia**

omnipotentia, à qua Deus dicitur absolute potens causare creaturas, per ipsarum creaturarum possibilitatem Deo extrinsecam completur in suo conceptu reali, & impeccabilitas, à qua Deus absolute dicitur impeccabilis per quiditatem potentie peccandi Deo repugnantis completur in suo iuxta doctrinam datam supra quæst. 3. Intrinsecum autem Dei inclusum in omnipotentia, & intrinsecum inclusum in impeccabilitate formalitates Dei sunt inuicem per rationem nostram distinctæ, quæ sumptæ præcisè cum voluntate, intellectu, bonitate, & cæteris attributis Dei merè intrinsecis possunt connumerari. Tantumdemque de similibus venit censendum.

Vnum hic est notandum. Omnia attributa 149 intrinseca Deo tum actu distincta, tum potentia distinguibilia in infinitum per rationem iuxta propositionem præsentem sub paucis conceptibus completi posse à nostro intellectu, atque etiam solere. Vt namque possumus integrum Deum cum omnibus suis formalitatibus tum alijs actu per rationem distinctis, tum in infinitum distinguibilibus sub vnicò conceptu completi, determinantibus ad id principijs, quibus ad illum sic concipiendum mouetur, inducitur vt intellectus noster; ita etiam possumus integrum Deum cum eisdem suis formalitatibus sub paucis quibusdam conceptibus in eos tantum tanquam in partes per nostram rationem præcisum completi, determinantibus pariter ad id principijs, quæ inducunt intellectum nostrum ad tales conceptus de Deo formandos, ad illumque subinde in eos solos, & non in plures diuidendum, seu præcindendum, iuxta doctrinam vniuersalem de nostro modo cognoscendi, & præcindendi formalitates traditam in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. & disput. 13. quæst. 9. Hoc tamen non solit, quominus singulos hosce conceptus Dei, qui quædam eius sunt attributa veluti collectiua, in plures, & plures sine limite possit intellectus noster diuidere, qui attributa Dei veniant dicenda veluti minutoria; sicque sint attributa Dei per nostram rationem distinguibilia infinita syncategorematicè, vt propositio data fert. Sic sub vno attributo sapientiæ solemus completi omnes actus intra ipsum distinguibiles, quibus Deus potest producere infinitos effectus diuersos; & sub vno attributo sanctitatis, siue bonitatis moralis omnes virtutes morales, & infinitos earum actus intra ipsum distinguibiles circa infinita obiecta diuersa. Pariterque in similibus.

## Propositio 5.

150 **Attributa semiextrinseca Deo actu infinita sunt, quatenus actu sunt infinita extrinseca, quibus illa compleantur in suo conceptu reali.**

Etenim entia diuersa extrinseca Deo tam possibilis, quam impossibilia intra seum statum quiditatum actu, siue categorématique, sunt infinita, vt ostendimus inferius disput. 13. Nullum autem est, ex quo non resisteret aliquod, aut plura attributa, siue prædicata Dei semiextrinseca, quibus dicitur, siue denominatur vnicuique aut similis, aut dissimilis, aut inæqualis, aut oppositus

fitus; aut potens illud producere, aut aliud quidpiam. Id quod inde etiam ostenditur. Quia, ut monstravimus in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 18. omnis essentia per comparationem ad infinitas alias, cum quibus combinari potest, & comparari, infinitas passiones tum proprias, tum communes fortitur, quæ ipsius subinde prædicata, siue attributa quædam sunt. Igitur potissimo omnium iure id verum est de essentia Dei. Porro infinita ista attributa Dei semixtrinfeca non solum per rationem nostram, sed etiam realiter esse inter se distincta, quatenus extrinfeca illa, quibus complentur, realiter sunt distincta inter se; indubitabile est.

Propositio 6.

152 Etiam attributa extrinfeca Deo actu, siue categorematicè sunt infinita.

Quia chymaræ impossibiles diversæ, à quibus Deus merè extrinfecè denominatur impotens eas producere, categorematicè sunt infinita ut diximus, proindeque & ipsæ Dei denominationes, siue attributa extrinfeca. Actus item possibiles tum cognitionis, tum amoris inter se diversif de Deo, à quibus ipse extrinfecè denominatur diversimodè cognoscibilis, & amabilis, infiniti etiam sunt; proindeque & ipsæ denominationes, siue attributa Dei extrinfeca. Denum connexiones; quibus infinita creaturæ possibiles cum Deo essentialiter sunt connectæ, infinitas denominationes extrinfecas attribuunt Deo, quibus extrinfecè denominatur terminans tales connexiones, ad illasve requisitus, &c. Huiusmodi etiam extrinfeca Dei attributa infinita quoad multitudinem distincta esse inter se realiter, manifestum est.

QVÆSTIO IX.

*Verum Attributa divina aliquo modo sunt inter se ordinata. Et qualiter.*

153 **S**upponenda hic imprimis est, atque recolenda doctrina generalis tradita in Pharo disp. 15. de ordine, siue ordinatione entium. Vbi statuimus, bifariam posse, & solere dici entia ordinata. Primò secundum proportionem. Secundò secundum seriem. Secundum proportionem dicuntur ordinata, quæ cum aliqua proportionè partium, ex quibus componuntur, disposita sunt; cuiusmodi sunt pulchra, harmonica, temperata, & aliter quovis modo proportionalia. Secundum seriem autem ordinata dicuntur, quæ in aliqua serie tractum aliquorum graduum habente posita sunt; idque aut suapte naturà, aut ex accidente. Series autem aut est cum prioritate, & posterioritate absolutæ suorum graduum, ut series durationis, originis, connexionis, & dignitatis; aut sine illa, ut series præsentiarum localium; & si quæ sunt aliæ. In quibus utriusque rursus prioritas, & posterioritas respectiva ad tertium venit consideranda. Quæ omnia, & plura scripta explicatiùs loco citato videnda sunt. Vnde, eis suppositus, sit.

Propositio 1.

154 Omnia attributa Dei tam ipsi intrinfeca, quàm semixtrinfeca, & extrinfeca, quæ aliquam à parte rei distinctionem aut simpliciter realem, aut virtuales habent, mirificam à parte rei proportionem, pulchritudinem, & harmoniam, seu consonantiam habent.

Quia eiusmodi Dei attributa à parte rei esse ordinatissima secundum proportionem, adeò, ut melior alia intra istud genus ordinatio neque possibilis, neque ex cogitabilis sit, prorsus indubitabile est. Cum ea sit citra omne dubium perfectio Dei, & omnis perfectio Dei qua talis intra suum genus sit summa, prout exponendum est inferiùs disp. 16. Vbi etiam videndum, quomodo cætera attributa Dei nullam à parte rei distinctionem habentia, aut certè quomodo vna Dei entitas simplicissima, cum qua illa sunt prorsus idem, pulcherrima nihilominus sit, alio videlicet genere pulchritudinis ab ea, quæ in proportionè partium consistit.

Propositio 2.

155 Omnia attributa Dei quoad suos conceptus formales aptissimè sunt ordinata secundum proportionem, atque adeò summam in suo genere pulchritudinem, harmoniam, seu consonantiam habent.

Quia, cum in realibus conceptibus, quibus correspondent, fundentur, eandem ordinationem secundum proportionem, eandemque proinde pulchritudinem, & consonantiam consentur habere formaliter, quam aut formaliter, aut eminenter illi habent à parte rei.

Propositio 3.

156 Attributa intrinfeca Deo, quæ nullam à parte rei distinctionem habent, nullum à parte rei habent ordinem prioris, & posterioris naturæ suæ.

Quia idem se ipso nec prius, nec posterius esse potest à parte rei naturæ suæ, ut ex se patet, statutumque à nobis est in Pharo Scient. disp. 1. citatà quæst. 7. proposit. 4. Dico naturæ suæ. Quia ex accidente bene potest idem se ipso esse prius, & posterius iuxta dicta ibidem proposit. 10. Quo pacto bene potest divina entitas in serie durationis dici prior prout habens esse in vno tempore se ipsa prout habente esse in alio; & in serie originis, atque etiam connexionis non mutue dici prior potest prout habens esse in se se ipsa prout habente esse in hoc Mundo quasi localiter, & in visione creata sui intentionaliter, seu obiectivè.

157 Loquor etiam in propositione de attributis Dei nullam à parte rei habentibus distinctionem. Quia, quæ distinctionem habent simpliciter realem, ut sunt personalia ordinem habent prioris & posterioris naturæ suæ in serie originis; siquidem Pater prior quàm Filius est prioritate originis, Paterque, & Filius, quàm Spiritus sanctus. An verò in serie dignitatis, seu perfectionis aliquem etiam

etiam ordinem prioris, & posterioris habeant in tract. de Trinit. examinandum est. In serie quippe durationis, & connexionis nullum dicendum attributorum aliud precedere naturam suam, & prioritatem absolutam, est certum: quidquid sit de respectu ad tertium, quam in serie connexionis, sicut & in serie originis videntur habere, quatenus Filius in utraque quodam modo est propinquior Patri, quam Spiritus sanctus, Vtrum autem formalitates illae Dei, quae a parte rei virtualiter sunt distinctae in ordine ad subeunda praedicta contradictoria, aliquem propterea habeant a parte rei ordinem prioris, & posterioris naturam suam in tract. de Trinit. atque etiam de Scient. & Volent. veniet examinandum.

## Propositio 4.

157 **Attributa intrinseca Deo, quae per solam nostram rationem distincta sunt, per solam quoque nostram rationem sunt ordinata quoad suos conceptus formales secundum prius, & posterius; cum fundamento tamen in ipsis.**

Primo enim sunt ordinata ratione nostra in serie originis, quatenus ratione nostra quaedam immediate, & quaedam mediate nascuntur ab essentia; sicque continuo quodam tramite alijs succedunt, ut seriem quandam originis continuatam per rationem nostram constituent. Quod proprium est logicarum, siue metaphysicarum passionum cuiusvis essentiae, (qualia sunt attributa ista comparatione essentiae divinae), iuxta doctrinam datam a nobis in Pharo Scient. disp. 17. quasi. 18. Secundo, praedicta attributa ex suis formalibus conceptibus sunt ordinata in serie connexionis etiam per nostram rationem formaliter, & respectu fundamentaliter; quatenus essentia divina cum alijs immediate, & cum alijs mediate connexa dicto modo est. Quae etiam series passionibus cuiusvis essentiae est propria iuxta dicta etiam loco citato. Et in ea quidem quod propinquiores sunt passionibus essentiae, eo sunt in tali serie priores prioritatem respectu ad tertium; prioritatem autem absolutam in connexionis non mutua nulla passio censetur prior alia, aut essentia; tametsi passiones communes respectu essentiae, & alijs respectu aliarum inconnexa non mutuo sunt; quia ista prioritas ab opposita originis prevalente censetur absorberi, iuxta doctrinam universalem de huiusmodi ordinibus traditam in Pharo Scient. disp. 15. citata. De prioritatem autem durationis, seu temporis, in quo nos quaedam horum attributorum prius, quam alia solemus concipere, ipsorumque subinde conceptus formales successively formare, ratio hic haberi non solet; quia ordo iste ipsis extrinsecus, & plerumque casualis, neque in ipsis rebus fundatus est. Vtrum autem ista attributa ex suis conceptibus formalibus ordinem habeant dignitatis, seu perfectionis, in quo alia alijs priora sint, & qua ratione, infra disp. 16. tractandum est.

158 **Superest hic advertere, cetera intrinseca Dei attributa, quae aliquam a parte rei distinctionem habent aut simpliciter realem, aut virtua-**

distincta), eodem pacto dicenda esse etiam quoad conceptus formales habere realiter eos ordines prioris, & posterioris, quos a parte rei habent iuxta dicta proposit. 3. Si quos autem ex praedictis praeterea habuerint in mente nostra obiective, illi utique, utpote a parte rei non reperti, ordines tantum rationis dicendi venient.

## Propositio 5.

**Attributa Dei tum semiextrinseca, tum extrinseca eosdem ordines prioris, & posterioris habent a parte rei naturam suam, quos habent extrinseca illa, quibus complentur, vel in quibus consistunt.** 159

Est certum. Quia eiusmodi ordines realiter aliud non sunt an ipsis extrinsecorum naturis, siue entitatibus aut partialiter, aut totaliter constituentibus talia attributa. Itaque tunc in serie, aut durationis, aut originis, aut connexionis, aut dignitatis sunt naturam suam ordinata talia attributa a parte rei secundum prius, & posterius, quando in eadem similiter sunt ordinata extrinseca, ex quibus illa complentur, aut in quibus consistunt.

Adde, qua ratione eiusmodi extrinseca ordinata insuper fuerint ex accidenti secundum prius, & posterius in qualibet dictarum serierum, in qualibet ve earum mixtione, eadem quoque fore ordinata attributa constituta per illa. Quia non possunt non constituta fortiri accidentia, quae secum ferunt constituenta. 160

## Propositio 6.

**Attributa semiextrinseca Deo quoad suos conceptus formales tum ordines reales suorum fundamentorum, tum insuper alios rationis habent.** 161

Quia, praeter ordines reales suorum fundamentorum commemoratos propositione 5. quos iure dicuntur habere iuxta dicta num. 158, formalitates praeterea intrinseca Deo, quas talia includunt attributa, & per solam nostram rationem distincta sunt, sumpta praecise perinde solent, eisdemque ordinibus per solam nostram rationem esse ordinata, ac sunt ordinata attributa intrinseca Deo per solam nostram rationem distincta iuxta doctrinam statutam propositione 4. Attributa etiam semiextrinseca Deo integre sumpta, quae per solam nostram rationem sunt distincta inter se; (eo quod in eisdem realibus fundamentis fundantur, ut sunt potentia, qua Deus dicitur potens causare creaturam, dissimilitudo, qua eidem creaturae dicitur esse dissimilis, & inaequalitas, qua eidem met dicitur inaequalis, aliaque huiusmodi). Haec, inquam, attributa per solam nostram rationem solent esse ordinata perinde, eisdemque ferme ordinibus, quibus praedicta attributa intrinseca Deo distinctaque per solam nostram rationem.

Propositio 7.

161 **Attributa extrinseca Deo quoad suos conceptus formales tum ordines reales suorum fundamentorum habent, tum alij quidam rationis ordines sæpe in eis reperiuntur.**

Prior pars propositionis constat ex præced. Posterior autem inde probatur. Quia attributa extrinseca Deo, quemadmodum & cætera entia, suas sæpe formalitates habent per solam rationem nostram distinctas, quarum quædam essentia, & reliquæ passiones eius sunt aut propriæ, aut communes; eosque subinde ordines prioris, & posterioris habent, quos solent habere essentia, & passiones distinctæ solum per rationem iuxta doctrinam vniuersalem traditam in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 18. & supra commemoratam. proposit. 4. Sæpe etiam formalitates plurium

huiusmodi attributorum, sicut & plurium aliorum entium, sumpta præcisè aliquem inter se ordinem habent, qui eatenus videtur dicendus ordo rationis, quatenus in formalitatibus præcisè ab alijs per solam rationem, tamen inter se distinctis realiter, fundantur, seu consistunt.

Et hæc satis de præsentē quæst. In qua non, 162 retuli, quod circa illam attingunt aliqui Auctores: quia valde imperfectè, & diminutè, aut etiam implexè tractant illam, vtpote ante præiactam vniuersalem, solidamque doctrinam de ordinatione entium, quam nos supposuimus ex Pharo Scient. Videantur ex Recentioribus Recupitus lib. 3. de Deo quæst. 14. & Quiros disp. 18. de Deo sect. 5.

Porro quæstiones aliæ, quæ de attributis 163 Dei in communi supererant examinandæ, deinceps in disputationibus sequentibus examinabuntur, & resoluentur oportunè.